

SYNOPSIS



EFFATORVM ARISTOTELIS

Quibus Tota Peripatetica Doctrina, & explicatur, & expurgatur.

OPVS

Medicis, Philosophis, Iurisprudentibus, ac Theologis apprimè necessarium.

Fuluij Magnani Bononien. Philosophiæ, ac Theologiæ Doctoris Collegiati, publici Philosophiæ Ordinariæ Lectoris.

ILLVSTRISS. BONONIÆ SENATVI DICATVM.

Cum Indice Alphabetico omnium, quæ in serie duorum Librorum Interpretantur.








BONONIÆ M.DC.LXVIII.

Ex Typographia Ferroniana. Superiorum permissu.



ILLVSTRISSIMI
PATRES.





Vb celsitudine nominis vestri AMPLISSIMI SENATORES exiles hæ meæ prodeunt lucubrationes, omnium obtutum receptura: Vestro sub tutellari Vexillo, inter confusionis laqueos diù detenti, suam quærunt libertatem hi mei labores. Viginti abhinc annis, vestro adscriptus famulatui; vestræ munificentiæ mancipatus; vestris meritò iussionibus submissus, quæ à Peripatetico ærario (mei muneris adscripto metro) pretiosa arcana elicere potui, syncero corde exhibere sum ausus, spe fretus, eâ humanitate vos excepturos, quâ haud solùm recipere, at decorare oblata munera consuescitis. Vtinàm (mihi ex corde precor) quòd sicu-

ti magnos Heroas magna decent, obsequentissimo affectu oblatum hoc opus sic adolescat, vt in sinu vestro benigniter exceptum, si non pares vestræ magnitudini, in omni scientiarum, ac meritorum genere, terminos nanciscatur, cominùs saltem imitetur, vt acquirat. Vestro planè augusto Nomine munitum; vestris irradiatum splendoribus; vestris semper gloriosissimis stipatum caracteribus, tenebras nullas offensurum spero; vestræ namquè iubar prudentiæ intueri, non cæcutire est, at perpetuo lumine illustrari. Hilari itaque vultu, serenâ fronte hoc primum laborum meorum munusculum amplectamini, rogo, ILLVSTRISS. PATRIÆ PATRES, vt in dies, maiori oppignoratus addictione, Philosophicum quid aliud, studiosæ Iuuentuti fortè iucundius, prompto animo congerere, & absoluere valeam.

Dominationum vestrarum Illustriss.

Cliens humillimus.

Fuluius Magnanus.

Beneuolo Lectori.

ET nimis grassatur obliuio, & nimis turpe otium hac tempestate adolescit (de quo vsq; ad intima dolendum, humanissime Lector) cùm neglectis Phylosophorũ documentis, mens libera, & effrænis, ad perniciosum voluptatum quæstum inconsultò vagari permittitur; nil enim est, quòd magis hominum animos, ingeniumquè fouere, aut exornare possit, quàm diuina Philosophia; nil immortalitati aditum referare, quàm de Vniuersi cõstitutione, perpetuaq; Cælestium, & inferiorum concinnatione studiũ instituere: Et quid planè iucundius, quàm abditiora Naturæ arcana (veluti aurum è terræ fodinis) perquirere, quibus, haud corpus tantùm, at anima ipsa vbertim perficitur, & decoratur? quid prudentius, quàm illam scientiarum omnium parentem, humanarum, ac diuinarum rerum (vt fassus est Plato) contemplationem, excolere, qua sola, mortalis inter Heroas viuere queit homo, sublimes gloriæ gradus conscendere, ac tandẽ perniciosos tẽporis conatus pessundare? Hisce intereà lacessitus ipse stimulis, posthabito aliarum Disciplinarum fructu, in studiosæ Iuuentutis commodum Philosophicas lineas ducere opportunum opus censui, turpiquè segnitie (ne inaniter discipulorum mentes torpescerent) ad excelsum veritatis fastigium euocare.

Et cùm meritò, iustè q; hæc diuina Philosophia auctorem suum Aristotelem, quotidiè ad buccinam Famę euo-

cet, & Nouitiorum cohors (vel quòd satis non videant, diem in meridie quærẽtes) vel quòd nimis aliarum Disciplinarum epulis expleti, dulcia documẽta enauseent; huic magno Philosopho conuicia ferentes, aut quòd ingenio hebes, aut etiam quòd inuidus, alieniquè laboris prædo vaniloquà ostentatione habenas de Natura tractauerit; propterea dicta eius præcipua (meritò sub nomine Effatorum, quoniam magna, pergrauia, atque profunda) rimari, ac funditùs explanare, non sum veritus, vltrò spem mittens, quòd eius germano sensu detecto, pia, religiosa, doctissima quæq;, vltra pensum sint agnoscenda, quæ assiduis lucubrationibus quæsiuit ipse, docuit & monumentis, vt nos doceremus alios, eleganter commisit: Imò, paucis dimissis (de quibus ab Oeconomicis Concilijs iam res acta est) Catholicæ fidei apprimè consona omnia, quæ vltrò, & græco idiomate, & latino, apud Arabes interpretes, Chaldæos, Doricos, &c. veteres & nouissimos, pro posse, obseruaui: quibus omnibus, non dubiè cognoui Aristotelis doctrinam sal esse, quo reliquę omnes, tùm morales, tùm naturales, practicæ, ac theoricæ condiuntur; lux illa Phœbea, qua cæteræ in tenebris verè calligantes, illuminantur; calor ille viuificus, quo documenta quæque, siuè Politica, siuè de Vero, siuè de Iusto fouentur, & animantur.

Quòd si immensa dicitur huiusce Auctoris sylua, & breuẽ à me tibi in fasciculũ redacta porrigatur ingenuè fateor, grauiorũ Interpretum sudoribus Commẽtarijs, Paraphrasibus, Sectionibus, &c. nunc tibi compillatam,

puram,

puram, & vt vulgò fertur, ad quintum essentię spiritum examinatā (quod nondùm generaliter est factum) exhiberi; sicquè magna in paruo, (quemadmodùm ille sedulus Artifex copias multas in paruuli annuli sphæra cōclusit) apparere. Macte tandèm animo, & quod tuæ commoditati, omniumq; Studētium philosophico fructui exhibeo, hilari vultu excipe, omniaq; mea tua esse scito.

Dies, vt viuas Nestoreos, nullo etiam senio defecturos, auguror, tua humanitate, quàm citò, alio meo labore, potiturus.





V. D. Hyacinthus Cantinus è Congregatione Cleric. Regular. S. Pauli, & Pœnitentiarius in Eccl. Metropolitana pro Eminentiss. & Reuerendiss. D. D. Card. Boncompagno Archiepisc. Bonon. & Principe, &c.

Imprimatur


Fr. Io. Vinc. Paulinus de Garexio Mag. Inquisitor Generalis Bononiæ.



EFFATORVM ARISTOTELIS
LIBER PRIMVS.

Ab eodem contraria non fiunt. 4. *Metheor. cap. 3.*

VAlet Effatum de eodem respectu eiusdem, & eodem modo, non respectu diuersorum, & diuerso modo; quocircà generans vnum gignit per se, & aliud per accidens. Amplius de eodem Agente naturali, non libero. Cæterùm de eodem, secundùm quòd naturaliter agit, non per violentiam, nequè per antyparistasim. Denique de eodem per actionem transeuntem agente, & vniuocam, non per immanentem, & æquiuocam; ait enim *Aristoteles* 4. *metaph. T.* 4. eiusdem esse opposita speculari, quę speculatio nequit esse absque verbi mentalis affectione.



SKOLION. Actionum 15. habentur genera apud Aristotelem, docente Ioanne Crassotio in suo Corpore philosophico de Generatione, & Corruptione articulo 4. at principaliter duo considerantur iussu *Arist. 9. Metaph. T. 16.* alterum transeuntis, quæ purè physica actio est, alterum immanentis, quæ intentionalis, metaphysica, & spiritualis est. Transiens est, quâ in externam materiam Agens propriam transfert virtutem, & ideò tempore mensuratur, & corporeorum, ac inanimatorum est. Immanens est, cuius principium, & terminus intra Agens sunt, & nullo pacto in externum patiens vehitur, vt intellectio, quæ ideò in instanti fit, & spiritualibus attribuitur substantijs.

Io. Craſ. in Corp. phil. art. 4.

Ab eo, quòd res est, vel non est Oratio dicitur vera, vel falsa. *In Cathegorijs cap. de substantia, & in Postpradic. c. 2.*

PRocedit verum causatiuè, & fundamentaliter, quatenùs veritas nostri intellectus à re causatur, non formaliter, quia non est opus, vt in re primò inueniatur ratio veri formalis, sicuti in Medicina non est necesse, quòd prius inueniatur ratio sanitatis, quàm in animali, siquidèm virtus Medicinæ, non sanitas eius, causat animalis valetudinem: quarè esse rei, non veritas eius, causat veritatem in intellectu, propter quòd Aristoteles ibidem inquit Opinio, & Oratio vera est ex eo, quòd res est, non ex eo, quòd res vera est, & Auerroes in lib. Destruc. c. 2 1. ait. Non propter hoc, quòd existimamus te album esse, tu albus es, sed propter te esse album, nos hoc dicentes, verum dicimus.

Auer. lib. Dest.

SKOLION. Penès aliud attenditur veritas propositionis secundū Philosophū, & natura rei, siuè prædicationis naturalis (vt vtar verbis Boethij, ac Zimaræ) nàm veritas propositionis, e.g. affirmatiuę, habetur ex identitate prædicati cum subiecto: Et quia vera, & maxima identitas est eiusdem ad se ipsum, hinc (at falsò) autumauit Boethius verissimam esse propositionem, in qua idem de se ipso dicitur, quæ prædicatio, cū non sit, neq; primi modi, neq; secundi dicendi per se à superlatiuo veritatis excluditur, vt infra. Naturalitas postea prædicationis habetur, quādo in propositione subijcitur id, quod naturaliter debet subijci, & prædicatur id, quod debet prædicari. Vbi notare est, quòd subiectum in propositionibus habet modum materiæ, & prædicatum modum formæ; etenim propositiones à prædicatis specificantur: Et quia respectus inferiorum ad superiora est respectus materiæ ad formam, quoniam

niam superiora continent, & inferiora continentur, & respectus continentis ad cōtenta est formæ ad materiam ex Auerroe 4. Phys. com. 49. propterea quotiescunq; superiora prædicantur de inferioribus, & accidentia, siuè propria, siuè cōmunia de subiectis, prædicatio naturalis dicitur, & è conuersò non naturalis, & per accidens: Quia ergo idem respectu suimetipsius non potest habere secundum naturam respectum materiæ ad formam, & recepti, ac receptibilis, cum hæc sint primùm diuersa, propterea rursùs Boethij opinio condemnatur, & Auerrois extollitur conclusio, quòd in summo est abominationis idem de se ipso, prædicatione verâ, ordinabili scilicet in demonstrationem, prædicari. *Auerroes 4. Phys. com. 49.*

Ablatâ propriâ passione ab aliquo subiecto illud amplius non remanet, nisi æquiuocè *4. Metheorum cap. vltimo.*

Adæquatè intelligitur de passione primò prima, per quam subiectum ab alijs diuersis specie potest distinctum cognosci, non de ea, quæ non est primò prima: Hinc Eunuchi, & Spadones, licet simili passione, & operatione destituantur, quæ dicitur Generare, ab Aristotele 2. *de Anima T.* 34. proprium opus viuentium nuncupatum, tamen homines sunt, & risibiles, quoniam Generatio non est passio primò prima, seù adæquata hominis. Item in actu exercito intelligitur non remanere, non in actu signato. Cæterùm si ablata sit, nedùm actualiter, sed etiā habitualiter, secùs philosophus dormiens non esset philosophus, contra Aristotelē; siquidem in somno ablata est operatio, & actus passionis propriæ, quæ est speculatio. Amplius de passionibus formarum naturalium, non artificialium; hæc enim differentia est inter for-

mam naturalem, & artificialem, quòd remotâ formâ naturali non remanet res denominata, & actuata per ipsam, nisi æquiuocè, hoc est quoad solùm nomen; sed ablatâ artificiali, benè remanet.

SKOLION. Actus signatus est, quando res, siue vox sumitur pro se ipsa, non descendendo ad inferiora, neq; ad significatum vocis: sic homo dicitur incorruptibilis, spectatâ voce intentionali, quæ est species. Actus exercitus est, quando vox non sumitur pro se, at pro suis inferioribus, & ita homo dicitur corruptibilis, dùm sumitur pro suis indiuiduis inferioribus, quæ sunt Socrates, Plato, &c. Clarius Actus signatus est primus, & iungitur essentiæ; exercitus verò secundus, & nectitur existentiæ; ille, nec tempus, nec locum respicit, benè verò iste.

Ablatis primis substantijs impossibile est aliquid remanere. *5. Metaph. T. 15. ac 7. eiusd. T. 8. & in Cathegorijs cap. 1.*

POstulat intelligi sic, quòd non remaneat aliquid ex parte existentiæ, & indiuiduationis, quoniam corruptio, quæ est propria primarum substantiarum, requirit vsq; in insensibile subiectum resolutionem, vt docet Aristoteles *1. de Generatione T. 23.* Non autèm ex parte essentiæ, & proprietatum, quæ semper, & æternaliter manent. Item sic, quòd non remaneat aliquod physicum concretum speciei propagatiuum, non metaphysicum, & abstractum. Cæterùm, quòd non remaneat aliquod prædicabile actualiter de ipsa, non simpliciter, & in potentia.

Absq;

Absque phantasmate nihil intelligit anima. *3. de Anima T. 32. & 39.*

VEritatem possidet in ijs, quæ naturaliter, & ministerio sensuum intelliguntur, non in illis, quæ, vel supernaturaliter, & Diuinitùs reuelantur, aut in alio statu concipiuntur; neq; enim per species innatas, neq; per phantasmata anima separata habet intelligere, at nouiter per influxas à Deo, secundum cõmunem Theologorum sensum. Item de illis, quæ directè, & ordine naturali primò intelligũtur ab ipsa, non secundariò, & reflexè, abstrahendo scilicet, aut mathematico, aut metaphysico modo.

Abstracta esse impossibile est demonstrare *2. Physic. T. 26. primo eiusdem T. 83. & 12. Metaph. T. 32. & 39.*

GErmanum habet sensum respectu simplicis Physici, & medio motu, non respectu altioris scientifici, & altiori via, quàm sit motus. Insuper verum de demonstratione potissima, quæ à priori dicitur, non à posteriori, & imperfecta, quæ ab effectu est. Vlterius verum quidditatiuè, & secundum essentiam, non descriptiuè, & quoad necessariam existentiam eorum, & dicitur communiter An est.

SKOLION. Duplex conceditur ab Aristotele in *primo Posteriorum T.* 30. demonstratio, alia à priori, quæ scilicet per causam proximam, & immediatam necessariò procedit, qualis est e.g. rationalitas respectu risibilitatis, & istâ, (quæ definitur ab Aristotele 1. *Post. T.* 7. Syllogismus epistimonicon) videlicet scientialis, non demonstrantur Abstracta,

quip-

quippè quæ priora ante se non habent. Alia deinceps à posteriori, quæ, vel per causam remotam, vel per effectum, vel à signo, aut experientiâ habetur, qualis est iste discursus affirmatiuus, inibi ignis est, quia fumus ab eo loco in tehera extollitur, & cum hac Abstracta aliquo modo demonstrari possunt, vt infra.

Abstrahentium non est mẽdacium. *2. Phys. T. 18.*

Castan. n. 1. Dist. l. A.
Crassot. in Com. Anal. 2. Phys. T. 18 et 19

SVbsistit Effatum de intellectiua solùm, & rationali abstractione, non de reali, & materiali; quocircà si à Lupo abstraheretur voracitas, & deinceps enunciaretur similis propositio Lupus non est vorax, planè nullum fieret mendacium, & nullus error. Amplius præcisiuè, non negatiuè, ita Castaneus in 1. Dist. l. A. & Crassotius in Com. T. 19. 2. Phys.

SKOLION. Abstractio nil aliud est, quàm diuulsio, seu separatio vnius ab alio, quod primò illi erat coniunctum. Dicitur de reali, quæ physica separatio est vnius rei ab alia, per quam fit discontinuatio, numerus, & locus diuersus eorum, quæ prius erant vnita; Insuper & de intellectiua, tàm ex parte intellectus agentis, qui ex munere suo conditiones indiuiduantes à phantasmate, & obiecto sensibili separat, tùm ex parte possibilis trahentis ad se conceptum vnius absq; alio, vt intelligendo lac album sine dulcedine, vel dulcedinem sine albedine, quæ abstractio præcisiua dicitur, quoniam per eam intellectus præscindit conceptum alterius connexi, non negando tamen ipsum de illo, quòd est proprium postea ipsius abstractionis negatiuæ, absq; dubio mendosæ, & sophisticæ.

Absur-

Absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi simul. *2. Metaph. T. 15.*

VVlt intelligi de scientia Metaphysica, quæ per antonomasiam scientia, imò sapientia dicitur, iuxta Aristotelem 1. *Diuinorum c.* 1. non de quacunque inferiori illâ. Amplius de simultate naturæ, non temporis, quod sanè dicitur respectu scientiarum, quæ sunt supra primam originis, vt est Logica, dicente Aristotele 2. *citato cap. vltimo*, siquidem talis origine prima, & vt docens, & vt vtens potest, & scientiam, & modum sciendi recludere.

Ab vno, vt vnum, non prouenit nisi vnum *2. de Ortu. T. 56. & 4. Metheor. c. 12.*

INtelligitur verum per vnum actum solùm, non per plures, & successiuos. Insuper de Agente vno naturali naturaliter operante, non de libero, aut naturali eleuato. Cæterùm per se, non per accidens; vndè videmus, quòd calidum per se calefacit, & per accidens algorem inducit. Vlterius intelligitur verum de eodem æquo modo disposito, & in ordine ad idem patiens, ac eundem finem; experimur enim Solem, propter diuersas dispositiones, accessus scilicet, & recessus, varia, imò contraria in inferioribus operari, puta de æstate generationem, & de hyeme corruptionem, dicente Aristotele 2. *de Gener. T. 69.* sic Nauta suâ præsentiâ est causa salutis nauis, & suâ absentiâ submersionis. Pariter experimur eundem aerem in sphæra ignis descendere, & in aqua ascendere; sic tepidum calefacere frigidum, & frigefacere calidū; Solem lutum condensare, & ceram liquefacere; calorem

per

per excessum, vt quatuor, in salsum saporem conuertere humidam substantiam; per excessum autē, vt sex, in amarum, &c. Amplius ratione termini, sed non modi agendi; in naturalibus namque, vt in aqua, interdùm adest modus agendi naturalis realis, interdùm intentionalis. Tandem verùm de Agente vniuoco finito, & de vno ratione speciei, non æquiuoco, in finito, aut vno ratione indiuidui tantùm.

SKOLION. Illud Agens æquiuocum dicitur, quod plures simul producere potest effectus, vt Deus, & Sol; insuper illud, quod non solùm virtutem continet vnius effectus, sed vltrà, propter quòd dicitur nobilius omni vniuoco, seorsim tamen accepto, & in ratione causæ. Vniuocum postea est, quod tantummodò vnum determinatum parit, & vltrò non continet, quàm sit virtus sui effectus, vt est Leo, Equus, & omne animal perfectum, non orbatum in specie, nec mutilum, &c.

A causa necessaria procedit effectus necessarius. *2. Phys. T. 48. & 70. & Lib. de causis Prop. 1.*

APprobatur, quando illa causa, quæ dicitur necessaria proximè, & immediatè causat, non quando remotè, & cum mediatione aliqua, nàm ab isto medio impediri potest; hinc videmus Cœlum causam necessariam istorum, quæ fiunt in Mundo inferiori, & tamen hæ res inferiores variæ sunt, & contingentes, ita prolixè Aristot. *Lib. de causis Prop. 5. & 6.*

A cau-

A causa necessaria, & per se nil fit à casu, & inordinatè. *8. Phys. T. 15.*

VAlet de causa per se immediata, non mediata; hæc enim directè succumbit Casui, & Fortunæ, vt putà inter duo extrema reclusa. Vlterius de causa primò prima, quæ aliarum causarum causa est, non de alia.

Accidens diuiditur contra substantiam. *5. Metaph. T. 15.*

CVrrit Effatum de substantia, vt hypostasim dicit, & suppositum, non vt dicit vsìam, siue essentiam; hæc enim communis est omni enti, & ideò tàm substantiæ, quàm accidenti, propter quòd in definitione æquiuocorum (quæ tamen communis est substantijs, & accidentibus.) Dicitur ab Aristotele *quorum nomen commune est, & ratio substantia,* idest essentiæ, *diuersa.* Item in ratione exigentiæ inhæsiuæ, & vt in alio, non in ratione entitatis, naturæ, & causalitatis. *D. Th. 3 p. q. 2. ar. 6. ad 6.*

Accidens ignobilius est omni substantia. *1. Phys. T. 14. & 7. Metaph. T. 2.*

APprobatur vndique, quantùm ad essendum, non quantùm ad agendum, putà in ratione entitatis, non causalitatis; constat enim calorem aliquid moliri, quod substantia facere non potest, licet in existendo ab ipsa dependeat. Amplius approbatur de naturali, omninò ipsi substantiæ contradistincto, non de illo, quod oritur ex participatione superio-

rioris naturæ, etenim quatenùs similitudo talis superioris naturæ præcedit dignitate ipsum subiectũ, & ita asserunt Theologi communiter in 2. sententiarum dist. 25. Gratiam esse nobiliorem animâ. Item quantùm ad modum essendi; non quantũm ad esse actus, nàm Charitas comparata ad animam nostram se habet, tanquam actus, & tamen actus asseritur nobilior potentiâ. *9. Metaph. T. 19. & 12. Metaph. T. 3.*

Accidens necessariò inest. *1. Phys. T. 14. & 7. Metaph. T. 3.*

ADæquatè verificatur de inhærentia aptitudinali, non de actuali. Insuper physicè, non metaphysicè; clarum enim est, quòd nullũ accidens inest essentiæ subiecti, & tamen Metaphysica est de solis essentijs rerum. Cæterùm verificatur de accidente concreto, & iuxta statum naturalem, non de abstracto, & per Diuinam potentiam separato.

SKOLION. Inhærentia, maximè accidentium propria, est, vel aptitudinalis, vel actualis, vt expositio innuit; modò per aptitudinalem intelliges habitudinem naturalem, & exigentiam ad cohærendum subiecto; cum enim accidentia non sint propriè entia, sed entis, hoc est substantiæ, entia, vt *secundo Metaphysicæ T. 2.* edocet Philosophus, substantiæ, vt insint, necesse est, & taliter, vt ablatâ hac inhærentia, & propensione ab illis, neq; sint, neq; possint esse. Actualis postea est illa inexistentia, & præsentia sui cum subiecto, quæ verè facit ipsum ens physicum, & sensibile: Prima de essentia est accidentis, nullo reclamante; secunda verò minimè, ita Soncinas cum omnibus Thomistis.

Soncinas 7. Metap. qu. 1.

Acci-

Accidens non est ens, nisi quia entis. *7. Metaph. T. 2. & 14.*

SVam possidet veritatem in comparatione ad ea, quorum essentia non est ab inhærentia, & ideò per se entia; non absolutè, dantur etenim quædam accidentia, quæ quodammodo despiciunt subiectum, & modum substantiæ habent, vt quantitas, lumen, tempus, &c. similiter propriæ passiones, quibus perpetuò ipsa subiecta indigent. Rursùs veritatem habet de accidentibus prædicamentalibus, totaliter contradistinctis primæ substantiæ, non de prædicabilibus tantùm.

Accidens non migrat de subiecto in subiectum. *1. Phys. T. 14. & 12. Metaph. T. 3.*

SYncerè procedit Effatum de subiecto inhæsionis primario, & proximo, non denominationis; qualitates namq; symbolæ, secundum Neotericos, eædem reperiuntur in genito, ac in corrupto, & secundum Scotistas eadem cicatrix, pondus, figura in nouo adsunt producto eædem numero, quæ erant in veteri composito. Amplius procedit de adæquato subiecto in aliud adæquatum subiectum, siuè numero, siuè specie diuersum, nō de inadæquato. Tandem de eodem accidente numero, & in eodem statu, non de eodem specie, siuè intentionaliter multiplicato; eadem namq; vox à Concionatore prolata, & idem numero odor à flore emissus intentionaliter multiplicatur, & ab aere, dein ab aure illa, hic à naribus recipitur.

Accidens substantiam non producit. 7. *Metaph. T. 48. & 49.*

Falsitati contradicit sumptâ substantiâ, quoad entitatem, non quoad cognitionem, quandoquidèm à posteriori, .i. per effectum, & operationem, noscitur substantia ipsis medijs accidentibus, dicente Arist. 1. *de Anima T. 11.* non verò à priori, & per causam. Similiter falsitati contradicit primariò, per se, & principaliter, non secundariò, & instrumentaliter, siuè per virtutem ipsius substantiæ, quòd dicunt Alij dispositiuè.

Accidens vni nequit alteri esse substantia. 1. *Phys. T. 27.*

Ancillatur veritati de accidente, vt opponitur substantiæ, non prout dicit quid extraneum quidditati; ait enim Arist. in Cathegorijs, quòd homo accidens est domino. Insuper veritati consonum est de accidente prædicamentali, nõ prædicabili. Amplius in ijs, quæ vniuocè prædicantur, & naturã eius participant in carẽtia perseitatis, & subsistẽtiæ, propter quòd in Philosophia eunt damnati, qui elementorum primas qualitates eorundem dicunt esse substãtias, & in Theologia illi omnes, qui scientiam (quæ in nobis qualitas est) negant in Deo esse substantiam, cum scientia de Deo, & de nobis solùm analogicè dicatur, & non vniuocè, & quidquid in Deo est sit ipsemet Deus. Item propriè, non impropriè; Creaturæ enim substantiales, in eo, quòd à Deo dependent, & ab ipso annihilari possunt, impropriè saltèm, accidentia respectu illius dici possunt, ita Auerroes in Com. 12. Metaph.

Auerr. in Com. 12. met.

Acci-

Accidentia magnam conferunt partem ad agnoſcendum quid eſt. 1. *de Anima T.11.*

DE proprijs verificatur Effatum, & de inſeparabilibus, non de cōmunibus, & ſeparabilibus: Item reſpectu intellectus, qui per phantaſmata intelligit, non de alio, vt eſt intellectus Angelicus, & Diuinus: Cæterùm extrinſecè, & in ratione ſigni, non intrinſecè, & tanquàm per adæquatum medium, ita Lauredanus in Com. lib. 1. de Anima. *Polus Lauredan. in Com. T. 11.*

Accidentia plura, ſolo numero diſtincta, non ſunt in eodem ſubiecto. 5. *Metaph. T. 13. vbi mendae eſt textus Græci.*

CErtitudinem habet in accidentibus realibus, & abſolutis, non intentionalibus, & relatiuis, quandoquidèm plures reſpectus ad plures filios in eodem Patre eſſe queunt, & tamen ſpecie non differunt. Amplius certum manet de accidentibus realibus, eductis de potentia materiæ, per tranſmutationem factam à contrario, non de moralibus, & quæ per ſimilem eductionem à materia non habétur, vt ſunt habitus partiales eiuſdem Virtutis; etenim vna ſcientia, ex pluribus habitibus variarum concluſionum ſubalternaris, haberi poteſt. Deniq; de illis, quæ per plures ſpecies neceſſariò repræſentantur, non per vnam.

Accidentium non est scientia. *1. Post. T. 5. & 8. & 6. Metaph. T. 6.*

PRobè intelligitur de accidentibus communibus, & separabilibus, non de proprijs. Insuper de ijsdem accidentibus secundum existentiam, non secundum essentiam, quod Alij dicunt in concreto, & primò intentionaliter, non in abstracto, & secundò intentionaliter. Tandèm de illis, quæ ex parte causæ fortuitò, raro, & citra intentionem Agentium eueniunt, non de illis, quæ rarò tantùm fiunt, causam tamen determinatam habent, vt Tonitru, Eclypsis, &c.

Accidit nulli, quod verè est. *6. Metaph. T. 4. 27. & 30. 1. Phys.*

SVb hac intelligentia vsurpatur, quòd ens nulli insit, cum omnia sit, non quia, quæ sensibilia sunt semper ita sint, & non mutentur, accidunt enim multa his, at nunquàm accidit, quòd sint entia: Auerrois exemplum est, quòd si per impossibile album esset sine substantia, album statim esset ens, quia esset vnum, & ens, ac vnum conuertuntur, ex eodem capite 6. Metaphysices; imò tunc erit ens, & non accidens, cum non inhæreat, & proindè accidit nulli, quod verè est, concludit Antonius Posius in suo Thesauro sententiarum Aristotelis, & Auerrois litterâ primâ.

Auerr. in Com. 6. Met.

Anton. Posius in Thes. sententiarũ Aristot. &c.

Actio est ratione contrarietatis. *1. de Gener. T. 50.*

PRocedit verum de actione purè physica, quæ est per motum, non de intentionali, & morali. Insuper de actione

ne penitùs transeunte, quâ scilicet forma vetus abijcitur, & noua introducitur, & vocatur productiua, non de perfectiua, & quæ intensionem parit, siquidèm talis est inter similia, non quidèm gradu, & virtute, sed formâ.

Actio est patientis perfectio. *9. Met. T. 15. & 16.*

GErmanum sensum habet de actione naturali ad finem debitum ordinata, non de alia, quæ his non potitur conditionibus. Rursùs de transeunte totali, non immanenti, & partiali. Cæterùm, tanquàm signum perfectionis, non tanquàm forma eiusdem, aut quidditas.

Actio, & passio sunt eadem res. 3. *Phys. T. 19.*

SVbsistit materialiter, non formaliter, quandoquidèm formaliter sumptæ, definitiones habent diuersas, & in diuersa tendunt, actio scilicet ad ipsum Agens communicans suam virtutem patienti, & passio ad ipsum passum recipiens dictam virtutem Agentis, propter quòd in *Cathegorÿs cap. 5. & 6.* imò & in fine *capitis 6. citati 3.* ait Philosoph. actionem esse actum agentis, & passionem actum patientis: Item eadem res in sensu reali physico, qui motum eundem concernit, non in formali, & metaphysico.

SKOLION. Terminus hic *in sensu reali* refert identitatem naturæ, vt res Quæ, idest vt vera res, & perfecta res. In sensu verò formali importat respectum, & præcisum conceptum suum: Sic totum est suæ partes in sensu reali, sed non formali, quoniam pars diuersum habet conceptum, & diuersam quoq; definitionem à toto; vide infra litterâ G.

Actio

Actio, & passio, vt Generatio, & Corruptio, sunt inter contraria. *2. de Ortu T. 24. & 51.*

VErum est, quoad præuias dispositiones, non terminatiuè solùm, secùs nulla generatio esset vniuoca, quod maximum absurdum est. Item verum respectu accidentium, quibus medijs elaborantur, & fiunt, non respectu formæ, quæ acquiritur per actionem, & passionem. Tandèm de physica, & physico Agente, ac patiente, non de vitali, quæ fit per speciem obiecti; nec pariter de morali, intentionali, &c.

Actio fit à potentiori. *1. de Ortu T. 48.*

Alph. à Vera Cruce 3. Phys.

VErificatur semper, quando actio sumitur completè, & cum termino finali, siquidèm remissio qualitatis actio est, & non fit à potentiori, quòd etiam de decremento affirmare fas est. Amplius verificatur de actione transeunti, quæ est inter contraria, maximè tertiæ speciei qualitatis, non de quauis alia extra contrarietatem, & resistentiam, vt est omnis immanens, puta visio, illuminatio, &c.

Actio fit per contactum. *1. de Gener. T. 44. & 45. & 3. Phys. T. 21.*

DE tactu, vel suppositi, vel virtutis suum sensum retinet, non determinatè de solo suppositali, & quantitatiuo. Cæterùm de tactu reali, non de metaphorico, quo pacto interdùm dicimus contumeliam tetigisse, & commouisse animum alicuius, & proindè iram, ac vindictam excitasse.

SKOLION. Tactus virtutis est communicatio potestatis, & vi-

& virium Agentis ipsi passo recipienti, siuè proximo, siuè remoto, quo pacto dicitur magnes tangere ferrum distans, & Sol nostratia, siquidèm ille suâ virtute alterat ferrum, & ad se trahit, non verò aerem, vel intermedia corpora, hic verò inferiora nostra, & non Orbes intermedios. Tactus postea suppositi est immediata, & quantitatiua superpositio Agentis supra passum, pariter corporeum, & quantum, vt e. g. manus dexteræ supra sinistram, de quo tactu locutus est Aristoteles 1. *de Ortu T*. 44. in exordio, dùm ait. *Ea se tangunt, quorum extrema sunt simul.*

Actio, & passio fiunt à dissimili. *1. de Gen. T. 46.*

VVlt accipi, & intelligi de dissimili in gradu, non in specie, seù (vt exponunt Alij) in virtute, non in forma. Insuper valet in principio, non in fine; intensio namquè actio quædam est, vt supra, & nullo pacto dicitur à dissimili secundum formam.

Actione immanenti nil producitur. *6. Ethicorũ c. 5.*

VErum est, quòd nil producitur externum, & sensibile, producitur tamen internum, vtputà per intellectionem verbum mentis, seù species expressa. Item nil materiale, cuius existentia oculis, vel tactu pateat, benè autèm aliquod intelligibile, cuius existentia æterna potest esse, vt infra.

Actiones Dijs non conueniunt. *10. Ethicorum c. 8.*

CVrrit adæquatè de actionibus transeuntibus, quæ per motum fiunt, non de immanentibus, & vitalibus, cuius argumentum est, quòd paucis interiectis verbis subiungit,

quia ipsorum felicitas in contemplatione consistit: At nos de vno tantùm id concludimus.

Actiones Naturæ fiunt calore, & frigore. *4. Metheorum c. 1.*

PRocedit verum de actionibus secundarijs, quas habent elementa in ordine ad mixtum, & sunt emollire, maturare, concoquere, &c. non de primarijs; calor enim emollit, terminat, figuram facit, congregat homogenea, &c. frigus autem, & congregat, & disgregat; quocircà calidum, & frigidum sunt actiua, quia congregant, & terminant; humidum verò, & siccũ passiua, quia terminatur, &c. similia patiuntur

Actiones sunt suppositorum. *1. Met. in Proœm.*

VErum est, *vt quod*, non *vt quo*. Amplius in compositis, non in simplicibus. Item in transeuntibus, non immanentibus. Cæterùm copulatìm, non diuisìm; diuersificantur enim, & habentur actiones in eodem homine diuersæ, vt audire, videre, olfacere, iuxta diuersas potẽtias animæ sensitiuę, & intellectiuę in diuersa obiecta directas, propter quòd etiã in Christo Domino duæ admittuntur actionum species, ob duplicem in eo naturam, humanam scilicet, & Diuinam, estò fuerit vnum suppositum tantùm; ni placeat dicere (vt concludunt Alij) actiones eius fuisse Theandricas, hoc est summè viriles, & mixtas ex humano, & Diuino.

SKOLION. Operari *vt quod* est immediatè, & naturali modo terminare actionem, & proindè in toto tempore actionis physicè alitèr se habere, & continuò alterari. Vt *Quo* verò est esse rationem, & principium agendi solũmodò, vt est Anima in corpore nostro, respectu visionum, auditionũ, &c.

Actio-

Actiones Virtutis non sunt qualitates. *10 Ethicorum cap. 2. & 9.*

GErmanum retinet sensum, quòd non sint naturales, sensibiles, aut non permanentes qualitates (quoniam tali loco arguebat Aristoteles contra eos, qui nolebant aliquod esse bonum fixum, & permanens) non quòd omninò non sint qualitates, scilicet morales. Item quòd non sunt qualitates corporeæ in subiecto corporeo receptæ, at intentionales, seù spirituales in anima recipiendæ, & retinendæ.

Actus actiuorum sunt in patiente benè disposito. *2. de Anima T. 24.*

LIquidum, & patens est de actibus primis, & immediatè consequentibus primos, non de quibuscunq; indifferenter; ad coniungendam enim materiam cum forma substantiali, qualitates actiuæ, & passiuæ requiruntur, quâ datâ coniunctione immediatè sequitur tanta, & talis actiuitas; quarè meritò Aristot. 1. *Phys. T.* 37. aduersus Anaxagoram docebat quodlibet non fieri ex quolibet, nec quomodocunq; sed determinatum ex determinato. Item de actibus completis, & perfectis, non incompletis, &c.

Actus bonus, vel malus dicitur ex ordine ad finem *3. Ethicorum cap. 11.*

VAlet de fine proximo, ac principali, non de remoto, ordo ad quem finem dicitur à Theologis circumstantia actus, ita D.Th. in de peccatis q. 2. art. 4. ad 9. Insuper in ijs, quæ patent, & exercitium referunt, non in indifferentibus, & ijs, quæ latent. vt infra.

D.Tho. in de peccatis q. 2 a 4.

Actus est ratio intelligendi, & cognoscendi. 9. *Metaph.* T. 20. & 22.

POstulat, quòd intelligatur de actu perfecto, & completo, non de incompleto, singulari, & hypostatico; hinc actus singularis, e. g. furandi, non facit cognoscere furem, cum potuerit furans, causâ indigentiæ, furari. Amplius de actu per puram comparationem ad potẽtiam, quæ hebetationis principium, & causa dicitur, non simpliciter, & absolutè.

Actus, & generationes circa singularia sunt. 1. *Met.* T. 1.

DE transeuntibus peroptimè intelligitur, & de generationibus ad extra, non de immanentibus, & ad intra. Amplius obiectiuè, & secundum intentionem, non materialiter tantùm, vndè in piscibus, & alijs plures partus parientibus, intentio est vnum saltem sibi simile generare, non plura. Ceterùm intelligitur de actibus realibus, secundũquòd tempus, & alias circumstantias inuoluunt, non simpliciter, & absolutè. Deniq; de singularibus per se, vel per accidens, non per se tantùm.

SKOLION. Per se singularia sunt, quæ ex differentijs indiuiduantibus constituũtur, veluti Socrates, & Plato, qui vltrò nominibus singularibus significantur. Per accidens singularia sunt, quæ minimè ex talibus indiuiduantibus differẽtijs componuntur, neq; nominibus singularibus primò, & immediatè significantur, vt sunt homo, animal, corpus, quæ re vera singularia non sunt, nisi quia in singularibus per se existunt, & continentur.

Actus,

Actus, & potentia sunt eiusdem generis. *9. Metaph. T. 4. & 7.*

VAlet quando potentia propriâ virtute producit actum, non quando virtute alterius. Item de tali potentia, & actu tali, non absolutè, & liberè, vt infrà litterâ P.

Actus præcedit potentiam. *9. Metaph. T. 13. & 12. eiusdem T. 32.*

DE prioritate perfectionis, & dignitatis suam possidet veritatem, siquidèm actus, per *Arist. 1. Phys. T.* 81. Diuinum quoddam bonum est, quod sanè per hanc metaphoram intelligitur, quia actuare est dare esse primum, dare autem esse primum est aliquod Diuinum, non de prioritate originis. Item verum respectu totius vniuersitatis rerum, non in singulari, est enim opus per Philosophum in 2. *Cæli T.* 20. ab vno semper existente in actu, reliqua de potentia in actum deduci. Accèdit, quòd potentia est propter actum, & non definitur, nisi per ipsum, quæ finalis ratio suæ perfecti onis argumentum est supra potentiam.

Actus plures habitum producunt, & ex habitibus memoria est. *1. Metaph. cap. 1. T. 1.*

PRo compertò est in habitibus acquisitis, minimè in infusis, & supernaturalibus; in hoc enim maximè isti duo discriminantur, quòd acquisitus ex frequentatis fit actibus, & præuiâ dispositione; infusus verò minimè, at gratuitò datur: sic memoria oritur ex præcedentibus rationis actibus, & habitibus, cum scientia in memoria fit ex 1. *Metaph. c.* 1. & scientia



tia plurium actuum, & partialium habituum messis existat. Item, non de naturali innato, qualis est habitus primorum principiorum, sed de quouis alio per ipsum adepto.

Actu posito tollitur potentia. *9. Metaph. T. 10.*

INtelligitur verum de potentia transcendentali, quâ tale ens est à causis producendum, quandoquidèm lapis e.g. qui actu est, iam absumptam potentiam refert, at falsum de potentia prædicamentali ad operationes directa, quæ qualitas nuncupatur; vndè aqua, quæ actu humectat, adhuc retinet potētiam naturalem, per quam deindè humectare potest: sic potētia hominis sensitiua, dùm actu sentit, remanet adhuc potentia, vt sentire possit: Item verum de passiua, tali actui relata, non de actiua.

SKOLION. Potentia transcendentalis dicit absentiam, & carentiam omnis entitatis, qualis est obiectiua Scotistarum, & ideò non ens est: Prædicamentalis verò, cum sit tantùm deficiens conditio ad agendum, dicit potestatem solùm ad actum secundum, sed est ens, & in actu primo qualitatis.

Ad diuersitatem requiritur vtrunq; esse. *10 Metaph. T. 11.*

SVbsistit Effatum de diuersitate reali, non formali, aut virtuali. Amplius de diuersitate, quæ est inter positiua, & sensibilia, non inter negatiua, & potentialia, seù possibilia, alioquin materia, & priuatio non essent diuersa principia, & proindè non amplius 3. numero contra Arist. 1. *Phys. T. 46.*

Ad eandem scientiam spectat considerare totum, & partes. 2. Phys. T. 22.

IN cardine est veritatis, quando totum, & partes conueniunt in vna ratione formali obiecti, & respectu eiusdem passionis, non aliter; quocircà subiectum Physicæ non consideratur in Metaphysica, vt mobile, sed vt ens. Item materialiter, & vt *quod*, non vt *quo*; Item de homogeneo, non ætherogeneo, vt infra.

Ad impossibile nulla est potentia. 1. Cæli T. 58.

ADæquatè subsistit de impossibili logico, non de physico. Item de impossibili simpliciter, & per ordinem ad quamcumq; potentiam, non ex hypothesi, vel suppositione.

SKOLION. Possibile logicum significat id, cuius reuera pars contradictionis implicat. Ab opposito verò impossibile logicum est, cui simpliciter repugnat esse. Possibile physicum est, quod sic potest esse; per oppositum verò impossibile physicum, quod sic non potest esse, idest aliter esse, ac est, & intelligitur absq; impedimento, & iuxta statum suæ specificæ naturæ, non per vires supernas.

Ad Metaphysicam attinet considerare quid est rerum. 6. Metaph. T. 3.

IN communi, & generaliter habet hoc verificari, non in particulari; qua de re in Physica, & alijs scientijs à Metaphysica distinctis, non est superflua consideratio de quid est, cùm istud cuilibet generi demonstrationum requiratur passim

sim, ex ambobus Analyticis Posterioribus dicente Philosopho. Item ex instituto, & ex officio, non simpliciter, & cum exclusione aliarum.

Ad præteritum nulla est potentia. 1. *Cœli T.* 138.

COnsonum veritati est de naturali Agentium naturalium potentia, non de supernaturali. Item formaliter, non connotatiuè; eadem enim aqua in eandem foueam redire potest, & eadem nauis scissa reuniri, sed quod omninò ex parte formæ præterijt, minimè, alioquin esset præteritum, & non præteritum, docente Arist. 2. *de ortu cap. vlt. T.* 70.

Ad relationem non est per se motus. 5. *Phys. T.* 10.

VVlt intelligi per se, minimè per accidens; cernimus enim id, quod non est duplum fieri duplum, & illum, qui non est pater, fieri patrem. Item de motu physico, & reali, qui est vià inter terminum à quo, & ad quem, non de metaphysico, qui est, quo res aliter se habet nunc, quam prius, saltem secundum prædicationem, vt infra.

D. Th. in lib. 5. Phys.

Affirmatio est prior negatione, 2. *Cœli T.* 19.

REcipitur verum, quando mutuò comparantur affirmatio, & negatio, non in respectu constitutionis sui totius, quia sic simul sunt, & relatiuè se habent; vndè affirmando aliquid de vno, negamus simul illud de suo contrario. Item verum, quantùm ad notionem, & notionis modum, siquidèm prius, & melius noscitur esse, quàm non esse, non quantum ad termines particulares vel particularia connotata, quoniam sic non esse præcelit esse.

Agens

Agens de nouo incipiens agere mouetur de potentia in actum. *8. Phys. T. 4.*

PRocedit de agēte, quod incipit agere actione noua, cuius actio non est sua substantia; de illo autèm non procedit, quod agit suâ actione æterna, quæ est ipsissima substantia sua, vt est Deus, qui tantummodò dicitur incipere agere, ratione noui effectus, & non propriæ mutationis.

Agens extrahens de potentia in actum non largitur multitudinem, sed perfectionem. *8. Metaph. T. 15. & 12. T. vltimo.*

FAmulatur veritati de actu immediato, & per se, non de remoto, & per accidens; liquet enim, quòd eneruatâ virtute extrahentis, perfectionem amplius, & complementum præbere, non potest. Cæterùm cæteris paribus, & nullo impediente, vel directè, vel indirectè ex concurrentibus naturaliter, non imparibus. Denique primariò, quia ponere in actu est primariò dare perfectionem, non secundariò.

Agens, & patiens debent esse diuisa. *1. de Ortu, & Interitu T. 78. & 79.*

VAldè certum est secundum entitatem, & continuationem, quoniam id, quod est continuum, non est passibile, cùm nil à se ipso patiatur, non secundum virtutem, & proportionem. Item in principio actionis, saltèm suppositaliter, non in fine.

Agens, & patiens in materia communicant. *1. de Ortu T. 43.*

INtelligitur ad vnguem de Agentibus naturalibus vniuocis, non æquiuocis, aut analogis, vt sunt Cœlestia respectu inferiorum. Item de materia proxima, non de remota, quia ex Aristot. 4. *Cæli T.* 37. tot sunt materiæ, quot elementa, ista autèm plura necessariò sunt. Tandèm de materia secundum se, & præcisè, minimè de ea, affecta dispositionibus, pro determinata forma recipienda.

Agens, & patiens debent esse simul. *7. Phys. T. 12. ac 1. de Ortu T. 45.*

INchoatiuè, hoc est in exordio actionis intelligitur, non terminatiuè, & semper quò vsq; fit actio: Amplius, vel secundum virtutem, vel formaliter, non formaliter tantùm; vide infra litterâ M. Quòd si hæsitet quis de superfluitate Effati huius, vel alterius, quod sub littera M. in præsentiarum refertur; conscius *Aristotelici T. 45. primi de Gener.* certam habebit responsionem, scilicet agens, & patiens à mouente, & mobili differre, quandoquidèm patiens est necessariò, quod alteratur qualitate tertiæ speciei, non sic verò mobile; quinimò in plus se habent mouens, & mobile, quàm agens, & patiens, quod planè in genere naturali ratum est apud omnes, nàm quòd mouet agit, non è conuerso: videatur ibi in *Com. cap. 2. de Tactu* Antonius Roccus.

Anton. Roccus 1. de Genere cap. de Tactu.

Agens,

Agens, & patiens debent esse similia secundum materiam, & dissimilia secundum formam. *1. de Ortu T. 49. & 50.*

VErum est, vt mutua sit actio inter illa, non simpliciter, vt actio fiat, alioquin esset contradictio in Auctore, cum dicat propter formam genitum esse simile generanti, & quòd per formam res producuntur tales in specie *2. Phys. T. 12.* Item verũ de actione productiua, non perfectiua, quoniam in intensione (quæ perfectiua actio est) non adest diuersitas, aut dissimilitudo formæ.

Agens forma, & finis coincidunt. *2. Phys. T. 70. & 71.*

VErificatur in actionibus vniuocis, & in quibus agentia propinqua sunt, non in alijs; quocircà videmus talem rem esse finem, quæ nullius rei forma est, quòd proportionaliter de Deo dici potest, qui omnium creatorum finis est, at nullius creati forma.

Agens fortius, citiùs agit, quàm debilius. *8. Phys. T. 79. & 2. Metheor. cap. de ventis.*

VAlet de agente habente contrarium, quod operatur per abiectionem sui contrarij, siquidèm respectu istorum est resistentia, & tarditas in actione, non de illis, quæ contrario vacant, vt liquet de ambobus Luminaribus, quæ in instanti illuminant.

Agens in agendo repatitur. 1. *de Ortu* T. 53.

Aref. in 1. de Gener. qu. de Tact.

VVlt intelligi de illis, quæ communicant in materia, non de non communicantibus, propter quòd Cœlum agit in hæc inferiora, & non patitur ab istis: Sic materialia patiuntur à spiritualibus, & tamen in ipsa non reagunt, vndè patet Intelligentiam agere in Cœlum, & non Cœlum in eam: Amplius de actione transeunte physica, quæ per primas exercetur qualitates, non de immanenti, quæ fit absque resistentia qualitatum, vt illuminatio. Cæterùm intra sphæram suæ actiuitatis, non extra. Deniq; vbi est proportio aliqua, minimè vbi deest, propter quòd pauca pluma non reagit in eximium fornacis incendium, nec vna gutta vini miscetur mille amphoris aquæ, vt testatur Aristoteles 1. *de Generatione T.* 88.

Agens nobilius est patiente. 3. *de Anima* T. 19.

VAlet optimè, si ad idem actio, & passio referantur, non si ad diuersa; quocircà si vegetatiuum est actiuius aliquando ipso gradu intellectiuo, qui immediatè dicitur passiuus, tamen non respectu eiusdem; intellectus enim est respectu totius entis vniuersalis; vegetatiuum autèm respectu particularis, & entis coniuncti.

Agens prius agit in propinquum, quàm in remotum 1. *de Ortu* T. 78.

Aresius 1 de Gener.

FIrmiter subsistit de agente naturali, & communicante in materia cum passo, non de intentionali, & morali. Insuper cæteris paribus, minimè imparibus, vt videre est apud Aresium in 1. de Generatione.

SKO-

SKOLION. Terminus *cæteris paribus* importat, quòd nil aliud obstet, & omnia æqualia sint, ad hoc, vt verificetur similis prædicatio, sicuti opposito modo terminus *cæteris non paribus*, vt e.g. Animal adultum potest generare, dummodò adsint instrumenta, fœmina cum mare, approximatio, integritas membrorum, & alia requisita ad generationem, secùs impotens vocandum: Sic quadrupes animal potest ambulare, si adsit solum sustinens ipsum, & finis, gratiâ cuius intelligitur moueri.

Agens semper est oppositum patienti 1. *de Gener. T.* 45.

VAlidè subsistit de agente commuuicante in materia cũ passo, & per sensibiles qualitates operante, non de supernaturali, & morali; cõstat namq; nobis dari agens creans, nullo patiente subiecto. Item aliquâ specie oppositionis, purà relatiua, non contradictoria, aut priuatiua.

Agens vniuocum per se agit simile 1. *de Gener. T.* 49.

VEtificatur de perseitate, quæ est modus causæ in ordine ad formam, per quam agens agit, non de perseitate absoluta formæ, quia nullum agens, præter Deum, agit sibi simile per se secundum formam, & ideò homo non est causa per se humanitatis, sed eam causat, vt in talem materiam agens, propter quòd non dicitur illam causare per se primò, at secundariò solùm, vt docet Ferrariensis 3. *contra Gentes c.* 65. *Ferrar. 3. contra Gentes c. 65.*

Ali-

Aliquid poteſt ſimul alterari, & eſſe alteratum. 1. *de ſenſu, & ſenſibili cap. 1.*

INtelligitur hoc ex parte ſubiecti, non formæ, aut graduum eius. Item quoad receptionem ſpecificam formæ alteratiuæ: non quoad totalem motum alterationis, qui in inſtanti eſſe nequit. Inſuper de alteratione naturali, modo pariter naturali facta, nō obiectiua, & vitali, cernimus enim, quòd immutatio viſus (quæ quædam alteratio eſt) illuminato diaphano, fit in inſtanti.

Alterius, & alterius generis ſunt alia, & alia principia 12. *Metaph. T. 19.*

APprobatur de principijs proximis, non de remotis, ſubſtantia enim accidētium omnium principiū eſſe poteſt, iuxtà Ariſt. 5. *Met. T.* 1. & tamen eſt alterius generis, ex quo fit, vt iſta per additamētum definiantur, ſubſtantia verò minimè.

Aliud eſt caro, & aliud carnis eſſe. 3. *de Ani. T.* 9.

VAlet reduplicatiuè, quoniam habens formam non eſt ipſa forma, neq; abſtractum ipſum concretum, vt ipſe innuit 1. *Poſt.* ſub illis verbis *aliud eſt homo, aliud hominis eſſe*, minimè ſpecificatiuè, & denominatiuè. Item valet metaphyſicè, & formaliter, non phyſicè, & ratione connotati.

Amicitia non eſt ad ſe ipſum. 9. *Ethicor. cap. 4.*

DEbet Effatum hoc intelligi directè, & propriè, non indirectè, ac impropriè. Item de Amicitia communi-

catiua

catiua boni; nihil enim boni formaliter quis sibi communicare potest, non de Amicitia, quæ solum amorem præsefert; nàm sic, quò magis vnusquisque se ipsum amare tenetur, eò etiam amicitiam gerere, si amare est velle bonum alicui, vt Moralium omnium adagium est. Item inordinatè, & irrationabiliter, itaut in proprium commodum omnia cõuertat, quæ amicitia ad se ipsum dicitur à Græcis Filautia, non cum debita ratione, vt facit homo virtute præditus, dicente Aristotele *nono cit. cap. 9.*

Amicabilia, quæ propter alterum sunt, veniunt ex amicabilibus, quæ sunt ad se ipsum. *9. Ethicorum cap. 11.*

VSurpatur certum de illis amicabilibus ad alterum, in quo altero bonum, quod est obiectum amicitiæ, reperitur secundum aliquem partialem modum, non verò de illis, quæ sunt ad alterum, in quo dictum bonum adest secundum rationem totius, vt est bonitas Dei, propter quòd communiter Theologi in 2. 2. q. 26. fatentur hominem ex charitate teneri plus diligere Deum, quàm se ipsum. Amplius de amicitia inter æquales, non de ea, quæ est minoris ad maximum, & superexcellens vocari solet, quoniam in tali casu amor non est sui mensura.

Amor est passio primi actus voluntatis. 3. *de Anima T. 54. & 57.*

APprobatur in ijs, in quibus est actus sensitiuus cum intellectiuo, non in ijs, in quibus est solummodò intellectiuus: hinc in Deo Amor est, & in ipso nulla est passio, pro-

pter-

pterquòd Aristoteles doctissimè 7. *Ethic. cap. vltimo* dicebat Deus vnâ, & simplicissimâ operatione gaudet, quâ eadem, sine passione amat, quæcunque amat.

A notioribus nobis est inchoandum. *1. Phys. T. 2.*

INtelligitur verum de processu naturali, non de via cuiuslibet doctrinæ, & cuiuslibet demonstrationis: Insuper de prima, & rudi cognitione, non de elaborata, & scientifica.

Anima est de numero entium naturalium. *3. de Anima T. 17.*

ABsque errore intelligitur de Anima vegetatiua, & sensitiua, non de intellectiua. Insuper de omni Anima, secundum quòd actuat, & corpori organico, tanquàm forma iungitur, non de rationali reduplicatiuè, aut secundum principium suum, quo creatur, & spiritus liber est.

Anima causa efficiēs est corporis. *2. de Ani. T. 36.*

VErificatur hoc pro illa parte, quâ est principium motus, siuè alterationis, siuè augmenti, &c. non respectu corporis materialiter sumpti, alioquin oporteret dicere animam necessariò præfuisse in corpore, & ideò corpoream appellandam, quòd toti Theologiæ, & Fidei aduersatur asserenti animam nostram infundi creando, & creari infundendo. Item efficiens actuum secundorum, non primi actus, cum ipsa forma sit.

Anima nullius corporis est actus. *3. de Anim. T. 6.*

PRobè intelligitur de actu consimili, qui scilicet corporeus sit, & eductus de potentia materiæ, non absolutè, & cum totali exclusione, nàm *T. 7. 2. de Ani.* rotundo ore eam appellat actum corporis physici organici, & alibi principium intrinsecum motus animalis, quod porrò principium actus est: Item secundum Alios nullius corporis actus secundus tantùm, sed primus. Insuper non corporis actus præsupponendus illi corpori, iuxta naturam actus, qui prior est potentiâ, sed posterior origine, tempore autèm simul, vt infra.

Anima rationalis non est natura. *1. de Partibus animalium cap. 1.*

VErificatur de ea, secundum principium, & entitatem suam, quâ communem habet naturam, & substantiam cum Angelis, & Intelligentijs; & insuper quatenùs operationem habet, in quâ non communicat cum corpore, non de ea, vt forma est, ac principium motus. Item de ea, vt mens est, sub qua comprehenduntur substantiæ abstractæ, & motrices Cœlorum, asserente Aristot. 12. *Metaph. T.* 52. non, vt vtitur organo corporeo, vti contingit in hoc statu viæ.

Animus quiescendo fit prudens. *2. de Ani. T. 58.*

DE quiete mentali, non corporis intelligitur hoc dictum. Item formaliter, non dispositiuè; quocircà dicebat Aristot. accipienti scientiam cõuenire multotiès alterari, quòd accidit priusquam inueniat medium, nàm postquàm inuenerit, sedatur alteratio, & fit quies, & cum sapit non alteratur, & tali modo veritatem habet dictum Arist. 7. *Phys. T.* 2. quòd quiescente parte, quiescit totum.

A priuatione ad habitum non datur regressus. *in Post. Cathegorijs cap. de Oppos.*

VVlt intelligi de priuatione, quæ tollit actum, & potentiam, sicuti est mors respectu vitæ, & cœcitas respectu visus, non de ea, quæ tollit actum tantùm, vt est somnus respectu vigiliæ. Amplius verum de illis priuationibus, quarum formę habent fieri circa idem subiectum vniuocè, & strictè, vt de calido in frigidum, non de alijs. Cæterùm de regressu immediato, non mediato. Insuper in naturalibus strictè, & adæquatè, non in artificialibus, patet enim, quòd dissolutâ arcâ ab Artifice potest reparari. Rursùs de priuatione, quæ inest mediante determinata forma, non quæ inest subiecto citrà formam; vndè si aer nunquàm fuisset lucidus, diceretur tenebrosus, & tamen à tenebris posset ad lucem trāsmutari. Denique per vires Naturæ, non per supernaturalem virtutem.

Banes 2. de Gen. cap. vlt.

Appetitus est rei non habitæ. *1. Phys. T. 69. & 81.*

FAmulatur vero essentialiter, & secundum possessionem boni appetiti, non intentionaliter; qui enim appetit bonum, non quærit habere bonum secundum esse intentionale. Item de appetitu desiderij, non complacentiæ.

A propositione tertij adiacentis ad eam, quæ est secundi valet consequentia, vt homo est albus: ergo homo est. *2. Periher. cap. 2.*

VAlet in accidentalibus non in essentialibus, vndè non sequitur Rosa est flos: ergo Rosa est, & ratio est, quia

in

in accidentalibus verbum *est* dicit existentiam, & ideò, cùm in propositionibus secundi adiacentis verbum significet existentiam ab illis, quæ sunt tertij tenet consequentia ad ea, quæ sunt secundi. At in essentialibus verbum *est* significat essentiam: Et quia potest esse essentia, sine existentia, propterea ab illis ad alias, quæ sunt secundi non est valida consequentia, vt dicendo homo est animal: ergo animal est, vel homo est; sic inane est locus non repletus corpore, ergo est locus. Vide maiora apud Mastrium in de fallacijs extrà dictionem *part.2. tract.3. cap.3.* *Mastr. par. 2. c. 3. tr. 2.*

Ars est vniuersalium, & experientia singularium. *1. Metaph. cap. 1. T. 4.*

GErmanè subsistit obiectiuè, vt habitus intellectus, itàut vniuersalitas primò, & principaliter includatur in obiecto artis formaliter, sicuti visibilitas includitur formaliter in obiecto visus, non participatiuè, itàut Ars sit vnum de numero vniuersalium.

SKOLION. Vniuersale obiectiuè importat rem aptam esse in pluribus: Participatiuè verò esse vnum participans vniuersalitatem in intellectu possibili, vt infrà.

Ars naturam imitatur. *2. Phys. T. 22.*

INconcussè verum est in communi, & quoad modum operandi, non in particulari: Insuper in Architectonicis, non in alijs, nisi fortè remissè, & remotè.

SKOLION. Architectonica Ars est ex Philosopho *T. 24. citati 2. Phys.* Ars superior, quæ alijs certi generis dominatur, & formam præbet, eò quià materiam præparatam ab inferioribus complet, & ornat, vt e.g. fabrilis respectu dola-

tiuæ. Famula Ars est, quæ altiori artifici materiam disponit, vt ipsa dolatiua respectu lignariæ, & calcaria respectu ædificatiuæ.

Artes non consultant. *3. Ethicor. c. 3. & 2. Physs. T. 86. & 6. Ethic. c. 1.*

VErum est de artibus certis, & definitis per longum vsum iam probatis, quæ semper eodem modo operãtur, non in incertis, & indefinitis, vt Medicina, Rethorica, &c. harum enim principium in nobis est, & à nostro pendet arbitrio; Insuper verum est comparatiuè ad Mathematicam, Physicam, &c. non absolutè. Item respectu finis, non mediorum, dùm scilicet inueniuntur, & componuntur.

Ars substantiam non producit. *2. Physs. T. 25.*

INtelligitur se solâ, non cõiunctâ sibi naturâ; vndè est, quòd applicando actiua, passiuis molitur opera Naturæ, & effectus naturales. Amplius effectiuè principaliter, itaut Ars iudicanda sit causa continens in se substantiam, eo pacto, quo causa naturalis continet in se effectum suum, non instrumẽtaliter.

A singularibus ad magis vniuersalia transeundum est. *2. Post. T. 27. & 1. Physs. T. 4.*

VAlet quotiès magis vniuersale æquiuocũ est, secùs non, vt 1. *Physs. T.* 4. & 57. habetur. Item in scientijs partialibus, non in totalibus, vndè exemplum eius fuit de simili, & acuto, quæ si quis voluerit definire, primò singulum eorum definiet in particulari, putà pro simili in coloribus, pro simili in figuris, &c. ex quibus colliget definitionem similis vniuer-

sali-

ſaliter accepti: ſic definiet prius acutum in voce, in ſapore, in enſe, quàm acutum vniuerſaliter acceptum. Item ab eruditis, & artificioſis abſtrahentibus, non à rudibus cognoſcentibus, quoniam hi (ſecundum Ariſt. 1. *Phyſ. T. 2. & 3.*) à confuſis magis, & vniuerſalioribus ad ſingularia procedunt.

Augmētatio propria eſt viuentiū. *1. de Gen. T. 31.*

CErtitudinem ſibi comparat propriè, & adæquatè, non impropriè, & inadæquatè, cum ſic omnibus generabilibus, & corruptibilibus adaptetur, vt clariùs ab ipſis æternis, & Cœleſtibus ſeiungantur. Item de illa auctione, quæ fit à principio interno, non externo, quæ alio nomine additio ſolet dici.

Augmentatio fit per partes formales. *1. de Gener. & Corrupt. T. 38.*

SVbſiſtit de propria augmentatione, quæ eſt per intus ſuſceptionem, nō de impropria, quæ eſt per appoſitionem, ſeù per iuxta poſitionem partium. Item per partes formales, remanētes eaſdem in ſpecie, & in forma, nō alio modo, vt inf.

Augmētatio ſupponit alterationem. *1. Cœli T. 21.*

VVlt intelligi de Augmentatione ſimpliciter dicta, quæ fit per conuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti per intus ſuſceptionē, non de Augmentatione ſecundū quid, quæ fit per rarefactionem, aut iuxta poſitionem ſolùm, quoniam ſic per Ariſt. *in Cathegorijs cap. de Qualitate* Quadratū, gnomone circumſcripto, augetur, & nulla præit alteratio.

Bea-

B

Beatitudo consistit in animi operatione. *1. Ethic. cap. 9. & 10. eiusdem cap. 7. & 8.*

POstulat intelligi de animi operatione in vltimum finem directa, non libera, & indistincta respectu cuiuslibet finis, non vltimi. Ampliùs non præcisè, quasi beatitudo sit sola contemplatio, sed etiam fruitio vltimi finis cum illa.

Anton. Scayn. 1. Ethic.

Bona diuisio debet esse per membra opposita. *3. Topic. cap. 4.*

SVbsistentiam habet de diuisione vniuoci in vniuocata, seù generis in species, non analogi in analogata, vt sunt actus, & potentia, vnum, & multa respectu entis. Item de diuisione, quæ est modus sciendi, & de qua est sermo in *2. Post. cap. 2. & 3.* non de materiali, & quantitatiua, quæ est physica. Vlterius de diuisione, quæ est in partes subiectiuas secundum considerationem, non in partes integrales, & extensiuas.

SKOLION. Diuisio Analogi in analogata est solummodò per diuersos modos; Vniuoci autem in vniuocata per differentias.

Bonitas est passio entis. *4. Metaph. T. 4. & lib. de de Causis prop. 20.*

CVrrit de ente in actu, non in potentia; cum enim bonitas sequatur esse, & esse conueniat ei, quod est in actu, propterea de isto verificari opus est; hinc omnia appetunt esse, ex *Philosoph. T. 34. 2. de anima, & 2. de Ortu T. 19.* cùm esse

se sit bonum; quocircà ibi dicitur, quòd melius est esse, quàm non esse. Insuper valet de ente reali extra animam, cum reali tantùm competat amabilitas, & bonitas, dicente *Arist. 6. Metaph T. vlt.* bonum, & malum esse in rebus, verum autem, & falsum in intellectu, non de ente in anima, cum enim bonitas non consequatur ens diminutum, & ens in anima tale sit, porrò tale ens bonum nequibit dici.

Bonum est ex integra causa, malum autem ex quocunq; defectu. *3. Metaph. T. 3. & 1. ad Eud. cap. 5.*

Adæquatè subsistit in moralibus, quoniam in his ex vna circumstantia vitiosa fit malum, non in naturalibus præcisè. Item de integra formali causa, non virtuali, aut instrumentali tantùm. Amplius de bono, vt conuertitur cum perfecto, & finem concludit, non de quocunq; alio extra statum perfecti, vt est ipsa mediorum bonitas, & eorum, quæ in finem ordinantur.

Bonum est, vt in paucioribus, malum autem, vt in pluribus. *2. Ethic. cap. 6.*

Rectè incedit respectu Mundi huius inferioris, vbi corruptela est sensus, non simpliciter, vel de Mundo superiori; abstracta enim, & separatæ substantiæ bonæ sunt, & tamen ista non sunt, vt in paucioribus, quàm sit ipsum malum. Amplius de bono procedit, vt perfectionem finis, & complementum dicit, non solummodò appetibilitatem; sæpè .n. alicuius finis boni media appetũtur, quæ ideò bona sunt, at non vltimâ bonitate, quæ fini attribuitur. Item quia cõtingit plu-

ribus modis deuiare à medio, quàm ipsum medium tenaciter retinere, dicente Arist. in principio dicti secundi, siquidem sensibilia bona sunt magis nota, quàm bona rationis in vniuersali.

SKOLION. Malum in paucioribus videtur esse, quando referuntur effectus ad causas proprias, quòd liquidum est in naturalibus; malum namq; non accidit in actionibus naturæ, nisi propter impedimentum superueniens causæ agenti, quòd sanè non est, nisi in paucioribus, vt apparet de monstris: In voluntarijs verò, quantùm ad agibilia, malum est magis, vt in pluribus, quàm bonum, quoniam in his virtus, & vitium dominantur, & proindè duplex nascitur appetitus mouens, rationalis .s. & sensualis, & id, quod est bonum secundum vnum appetitum est malum secundum rationem; vt amplecti delectabilia est bonum secundum sensum, sed malum secundum rationem. Et quia plures sequuntur sensum (inquit Aristot.) quàm rationem, propterea plures inueniuntur homines mali, quàm boni, propter quòd malum videtur, vt in pluribus; quòd secùs est, si appetitus rationis tantummodò attendatur.

Bonum, & ens conuertuntur. *4. Met. T. 2. 4. & 6.*

ADæquatè verificatur de bono transcendentali, non prædicamentali. Item de bonitate secundum quid, non simpliciter.

SKOLION. Bonum secundum quid, in proposito, dicitur illud, quod habet primam perfectionem, quâ redditur appetibile, vt est ipsum esse; Bonum verò simpliciter est, quod est bonum per formam bonitatis, quæ est qualitas enti superaddita (nil est .n. simpliciter tale, nisi per formam 2. *Phys. T.* 11.) vt e.g. homo, quatenus est, est bonus secundum quid, quoniã habet

habet esse, dùm verò per habitus speculatiuos, & morales dicitur bonus, tunc simpliciter inscribitur bonus, bonitate scilicet formali illorum habituum consecutâ.

Bonum, & finis idem sunt. *1. Ethic. cap. 1 & 7.*

VAlet fundamentaliter respectu creaturarum tantùm, non respectu Dei, & creaturarum simul; Bonitas namque Diuina comparatione diuini amoris, non habet rationem finis, & tamen bona est, non formaliter, quoniam bonum, quà bonum, significat relationem côuenientiæ, propter quòd definitur id, quod conueniens est, & finis importat relationem eorum, quæ sunt ad ipsum, & definitur id, cuius gratia aliquid fit. Item, vel actu, vel potentia; vndè quicquid est actu bonum non est actu finis, vt aurum est actu bonum, sed respectu contemptoris non est actu finis, quod dicerent Theologi de Sacramentis respondentes Atheistis, respectu quorum Sacramenta sunt actu bona, at non actu finis.

Bonum, & malum sunt differentiæ humanorum actuum. *1. Ethicor. cap. 7.*

GErmanum sensum habet in particulari, non in communi; nulla enim datur actio humana, quæ de facto non sit bona, vel mala, quoniam, vel habet finem rectæ rationi consentaneum, & ita est bona, vel caret isto, & sic est mala, aut vitiosa: Vel dic, vt semper respectu indiuidualium, non semper respectu communium.

Bonum, & malum sunt in rebus; verum autem, & falsum in intellectu. *6. Metaph. T. 8.*

VAlet obiectiuè, quoniam per Philosophum 3. *de Anima T.* 49. bonum est obiectum, in quod tendit appetitus, & obiectum nequit habere vim terminandi potētiam talem, nisi secūdum esse reale, quod habet extra, iuxta quod est perfectum, etenim, ex Aristotele ibi quæ sunt in intellectu diminuta, sunt & in potentia, non subiectiuè; patet enim quòd opinio dicitur bona, & mala, & tamen ipsa est intellectus, & non Naturæ; quinimò media syllogistica, alia bona, & alia mala dicūtur, cum tamen sint rationalia, propterquòd Auerroes 3. *de Anima Com. T.* 31. inquit bonum, & malum spectare ad intellectum actiuum, verum autèm, & mendacium ad speculatiuum.

Auerr. 3. de Ani. Com. T. 31.

Bonum est sui diffusiuum. *1. Ethic. cap. 1.*

FAmulatur veritati eo modo, quo est ens, & quo est agēs, videlicet ad intra respectu ipsius Dei, & ad extra respectu boni creati, non alio modo: Item, non sui secundum numerum, at secundum speciem. Insuper de bono vero, & reali, non de apparenti. Tandem sui, quoad similitudinem, non quoad entitatem.

SKOLION. Actio ad intra est prorsùs idem, ac superior immanens, sed cum hac diuersitate solùm, quòd de intellectu, & volontate dicitur, non de sensu, vt aliqua immanens dicitur. Ad extra verò est ad terminum extrinsecum, sicuti in Deo est opus Creationis, & Incarnationis.

Bonum habet rationem vltimi, & perfecti. *1. Ethicor. cap. 4. & 7.*

CErtitudinem possidet comparatiuè ad motum appetitus, non ad materiam, in qua aliquod bonum constituitur, quod oportet esse in medio, itàut neq; excedat, neq; excedatur. Item eâ ratione, quà est finis, & allicit, non quà medium aliquando est.

Bonum est prius, quàm malum. *9. Metaph. T. 19.*

QVoad intentionem postulat intelligi, non quoad executionem: Item respectu totius Vniuersi, non partium tantummodò eius; hinc Deus, quia est ens prius omni alio ente, & independẽs, etiam summè bonus est: Amplius de bono honesto, vero, & simpliciter, non de apparenti, cum istud simul bonum, & malum esse possit.

Bonum est, quod omnes appetunt *1. Ethic. cap. 1.*

SEnsum habet verum formaliter, & specificè, non indiuidualiter, quasi quòd vnum quoduis bonum ab omnibus appetatur: Et licet in Euangelio D. Matth. cap. 19. dicatur. Nemo bonus, nisi solus Deus, tamen id intelligitur per essentiam, non per participationem, & est sensus, quòd cum nil sit magis bonum Deo, nil etiam est, quod magis ordinatè appeti debeat, quàm Deus; deinceps alia, quæ bona sunt, ab ipso dependentia, bona per participationem dicuntur.

Bonum de quocumque, quod est, dicitur. *4. Metaph. T. 2. & 6.*

DE bonitate physica, seù naturæ vult intelligi, non de morali. Item respectiuè, nàm omne ens respectiuè bonum est, quatenùs alicui conueniens, non de bonitate integritatis (qualis data fuit primis Genitoribus in statu Innocentiæ) nunc autèm vulnerata, & læsa: Cæterùm de bonitate essentiæ, quæ transcendentalis dicitur, non formali, non gratuita, non artificiosa, &c.

Bono carent Mathematicæ. *3. Metaph. T. 3.*

VErificatur hoc præcisè secundum puram considerationem Mathematicam, nō materialiter, quoniam ea, de quibus agit Mathematica bona sunt, quia entia sunt, & ens, ac bonum conuertuntur 4. *Metaph. T.* 4. Accedit, quòd ens dicitur de essentia, & veritate rei, ex eodem loco, & Mathematicalia sunt maximè vera, vt innuit idem Arist. *in eod.* 4. *Metaph.* Itidèm de bono acquisibili per motum, & cum subiecto, vt mens est Philosophi, etiam quando dicit Mathematicas carere fine, qui finis cum bono conuertitur 2. *Phys. T.* 31. non de bono absoluto.

Bonum, vt apprehensum, mouet voluntatem. *3. de Anima T. 51.*

PRobè intelligitur per modum obiecti, & finis, non per modum efficientis; vndè impropriè dicitur intellectus motus ab eo, cùm de ratione mouentis veri sit esse nobilius moto, & tamen nullum ex his inferioribus obiectis est nobilius

lius intellectu. Accedit, quòd solùm vitaliter immutatur, & solummodò per species repræsentatiuè sensibiles, non modo naturali, aut per coactionem. Insuper de motione intentionali, & metaphysica, non physica, quæ est cum alteratione sensibili inchoatiuè, & terminatiuè reali ipsius mobilis.

Bonum Vniuersi ipse ordo est. 12. *Metaph. T.* 52.

DE Vniuerso, secundum quòd continens est, intelligitur, non pro rebus contentis, cum enim ordo quoddam accidentale sit; Creaturarum, quæ Vniuersum faciunt, bonum dici nequit: Item valet de bono, vt idem, quòd perfectũ est, non vt aliquod cõmunicabile, & appetibile.

C

Calor est prior frigore 2. *de Gener. Animalium c.* 2.

VAlet de prioritate perfectionis, non corporeitatis elemẽtaris, itaut debeat esse prius existens inter elementa; cùm enim omnia contraria se habeant secundum peius, & melius *ex* 1. *Phys. T.* 55. eò quòd vnum, respectu alterius induit defectum; ignis, ob suam actiuitatem facilè princeps, in prima contrarietate constituitur. Item in operando, non in essendo, vt supra.

Calidi est rarefacere, & frigidi condensare. 4. *Metheor. cap.* 6.

VAlet directè de calore elementali in sua natura considerato, non de naturali animatorum, neq; de Cœlesti perpetuo; calor enim naturalis in concoctione, & digestione agit

agit tantùm instrumentaliter, ex Aristot. *in de Spiritu nu. 60.* & ideò ad exigentiam animæ, propter varios fines agit, vndè condensat, rarefacit, mouet, &c. Cœlestis postea agit secundum dispositiones passiuorum, ex quo fit, vt solaris lutum simul exsiccet, & ceram liquefaciat.

Lib. post Tract. de Iuuẽ. & sene.

Causa causæ est etiam causa causati. *Libro de Causis Prop 5.*

AD vnguem intelligitur de proxima effectiua, & principali, non de alia; vndè, si ignis causa caloris est, & calor causa liquefactionis niuis, etiam ignis appellãdus est causa liquefactionis niuis. Cæterùm intelligitur in eodem ordine, ac genere, non in diuerso, itàut efficiens e. g. cum formali coniungatur, propterquòd non valet Equus generans est causa animæ geniti, sed anima est forma, ergo Equus generans est forma Equi geniti. Tandem in ijs, quæ necessariò, per se, & essentialiter connectuntur per naturam, non in alijs, puta liberis, & voluntariè agentibus.

Isidor. C. 2. nu. 78.

Causa efficiens est, quæ est motus principium. *2. Phys. T. 29. & 5. Metaph. T. 2.*

POrrò de sola causa physica efficiẽti intelligitur Effatum, non de metaphysica, qualis est Deus. Item de motu, non reduplicatiuè quieti contradistincto, quia sæpè efficiens mouet, vt quod mouetur ab ipso suam quietem, & locum consequatur, sed, vt actus mobilis indistinctè. Tandèm de causa physica physicè causante, non moraliter, vt potest esse homo.

Causa

Causa, & effectus simul esse debent. 5. *Metaph. T. 3 & 4.*

FAmulatur veritati secundò intentionaliter, non primò, quoniam tali modo relatiuè ad effectum se habet,& relatiua sunt simul natura *ex* 5.*Metaph. T.* 20. Item virtualiter, non actualiter, & formaliter.

SKOLION. Terminus secundò intentionaliter importat idem, ac secundum esse, quod habet res in intellectu cognoscente, propter quòd omnis secunda intentio relatio quædam rationis est; Primò intentionaliter postea importat realiter, & secundum existentiam, siquidèm prima intentio in concreto est obiectum, quod excitat intellectum ad intelligendum.

Causa est nobilior suo causato. 5. *Metaph. T.* 3.

ABsq; errore intelligitur de formali, finali, & efficiente, nō de materiali,& ratio Philosophi est, quia quicquid reperitur in tribus primis actuabilius est omni eo,quod reperitur in earum effectibus, & ideò præstantius, non sic verò quod reperitur in materiali. Insuper valet de causa principali, non instrumentali. Vlterius cum ordine, & methodo, nàm de efficienti æquiuoco principaliter, & directè intelligitur, de formali,minus,& de materiali nullo modo:Sic de fine extrinseco, non intrinseco; de efficiente principali, & proximo, non de coadiuuante,& remoto;vndè Sol causa est generationis Hominum, Leonum, Equorum, &c. *ex* 2. *Phys. T.* 26. & tamen non est nobilior Leone, homine, &c. sic non de vniuoco, quia hoc actuale est, &c.

Causa est prior suo effectu. *2. Phys. T. 37. & 5. Metaph. T. 3.*

De causa efficienti, quæ per motum habet causare vult intelligi, vt est ignis respectu caloris introducti in lignum, non de illa, quæ agit per simplicem emanationem, cum sufficiat ei origine antecedere suum effectum, & independentem esse, vt est Sol respectu lucis, & generaliter omne subiectum respectu propriæ passionis. Cæterùm primò intentionaliter, non secundò, quoniam tali modo causa, & causatum relatiua sunt.

Alam. in Prædic.

Causa, & principium reciprocantur. *5 Met. T. 1.*

Valet de causa cõmuniter accepta, non de propria. Item in ratione independẽtiæ, quia neq; principium à principiato, neq; causa ab effectu physicè dependent, non in qualitatibus, & modo inchoandi; hinc priuatio principium est, & non causa; vnitas principium numerorum, & non causa; punctus principium lineæ, & non causa lineæ. Tandèm in relatione, quoniã æquè ad effectum refertur causa, ac ad principiatum principium, non in sua entitate, & positiuo esse.

Causa eiusdem rationis producit effectũ eiusdem rationis. *2. de anima T. 34. & 7. Met. T. 28.*

Apprimè verum nullo dato impedimento, secùs posito isto. Insuper quamdiù perseuerat in statu causæ, minimè quando extra hunc statum exit, aut alteri iungitur, vt frequenter euenit de Natura, & de arte, quæ coniunguntur ad artefacta formanda, *ex 7. Metaph. T. 26.*

Causa differentiæ numericæ materia est. 7. *Met. T.28. & 8. T.15. ac 12. eiusd.T.49.*

VAlet secundum Scotistas in corporeis numericè solùm distinguibilibus, non absolutè in omnibus, tàm scilicet spiritualibus, quàm corporeis, cùm indifferéter cunctis propria hekeitas donetur, quæ verum principium est indiuiduationis. Item de materia cum suis proprijs, putà cum quantitate, &c. non de ea solâ, exclusis omnibus alijs. Cæterùm in naturalibus, nõ in artificialibus. Rursùs per appropriationem, non per adæquationem.

Causa prima plus influit in effectum, quàm secunda. *In lib. de causis Prop. 1.*

SAtis benè vsurpatur de causis effectiuis, & productiuis, itàut quicquid est perfectionis in simili effectu prodeunte ab vtraq; principalius reducatur in primã causam, quàm, &c. non in causis defectiuis, hoc est defectum, & destructionem causantibus, quoniã tunc debet refundi in debiliorem, quemadmodùm in primo Priorum de Conclusione dicitur, quòd sequitur deteriorem partem præmissarum. Item quatenùs effectus primæ intimior, permanentior, & magis vniuersalis est in ipsa, quàm sit quilibet alter in sua propria, nõ alterâ ratione, alioquin effectus diceretur magis secundæ, quàm primæ.

Causa per accidens producit effectum suum, vt in paucioribus. *2. Post. T. 12. & 2. Phys. T. 57.*

QVantum ad effectum intentionis agentis intelligitur hoc Effatum, non præter illam: Insuper de illo effe-

ctu per accidens, qui nullo modo habet causam per se, vt e. g. malum, non de illo, qui talem per se habere potest, vt motus violenti grauium in nostratibus.

Causæ contrariorum effectuum possunt esse causæ. *7. Metaph. T. 2. & 2. Phys. T. 30.*

DIsiunctiuo sensu probitatem, & certitudinem habet Effatum, nimirùm, vel per se, vel per accidens, non copulatè; Naucleri etenim præsentia per se causa est salutis nauis, sed absentia naufragij, at huius per accidens, & illius per se, quemadmodùm etiam intima Solis præsentia causa est per se caloris, & remotio, seù absentia frigoris: Præterea in statu purè naturali, non violenter alteratæ, & cum antyparistasim: Cęterùm de æquiuocis, & liberis, non de vniuocis, & naturalibus, vide supra lit. A.

Causæ diuersæ in quantitate habent diuersa causata in quantitate. *3. Cæli T. 18.*

VAlet in ijs, quæ sequuntur materiam, non in ijs, quæ sequuntur formam: Amplius cæteris paribus, videlicet non superadditâ maiori resistentiâ, secùs si superaddatur.

Causæ efficientes, & materiales cum effectibus conuertuntur. *2. Post. T. 12. & 13.*

PRocedit de his causis per comparationem ad subiecta propria, siuè in particulari accepta, non ad subiecta communia, vel in vniuersali sumpta, siquidèm tali modo potest dari scientia de illis, & tunc non conuerti, cùm in genere scientifico semper causa à causato distinguatur. Item, se-

ſecundum. Alios, procedit in ratione ſpecifica cauſæ materialis, non indiuidua.

Cauſæ extrinſecæ non ponuntur in definitione. *1. Poſt. T. 9.*

Adæquatè ſubſiſtit de extrinſecis, contingentibus alicui rei, vel ſubiecto, non de neceſſariò connexis, quæ ſcilicet per naturalem ſequelam quibuſdã prioribus ſuccedunt; quarè, licet Ariſt. 8. *Phyſ. T.* 4. definierit motum per actum mobilis, adhuc tamen mouens, & mobile non ſunt extrinſeca motui (vt perperàm nonnulli autumarunt) cùm naturaliter, & neceſſariò ad ipſum requirantur. Item de extrinſecis quidditati, non exiſtentiæ tantùm.

SKOLION. Quidditatis nomine rei eſſentia intelligitur; quod enim aggregatur ex prædicatis in quid, puta generis, & differẽtiæ vltimæ, quidditas, & eſſentia eſt ex Philoſopho per totum 10. *Metaph.* Exiſtentię verò inſcriptione, & denominatione vltimus actus, aut complementum eſſentiæ; niſi enim extra cauſas ponatur res, non completa, neq; perfecta eſſe poteſt vltimò. Ab hac exiſtentia habet res, quòd ſit ſingularis, incommunicabilis, temporalis, & ſaltèm mediatè ſenſibilis; ab eſſentia autem minimè, ex quo fit, vt definitiones exiſtentiam non quærant definibilium, eſſentiam verò benè, quòd intelligitur de creatura, non de Deo, ſiquidèm Deo exiſtentia conuenit eſſentialiter; creaturæ verò tantummodò contingenter.

Causæ formales, si infinitæ sint, nil contingit scire. *1. Phys. T. 15. & 50.*

RESpectu intellectus creati suum retinet sensum, cui intellectui iugiter obscura, & latēs est infiniti quidditas, non respectu intellectus Diuini, qui, quouis momento comprehendendo se ipsum, etiam omnium rerum formas distinctissimè cognoscit. Cæterùm de scire demonstratiuo, & perfecto, non de quauis alia inuestigatiua cognitione.

Causæ rerum non sunt infinitæ. *2. Metaph. T. 5.*

IN confessò est de causis per se, & essentialiter ordinatis, non de illis accidentaliter solùm connexis, vel subordinatis, quæ sine numero sunt: Insuper de causis in ordine ad indiuidualia rerum, non ad specifica, & generica.

Cœlum animatum est. *2. Cæli T. 13.*

DE Assistente anima, non de informante hoc intelligitur. SKOLION. Differt Assistens anima ab informante multifariàm, primò, quia Assistens est, quæ alicui inseparabiliter vnitur ad ipsum perpetuò mouendum; informans verò solùm ad tempus; dummodò educta sit de potentia materiæ per vires agentis naturalis, qualis non est simplex forma Cœli; item quia informans pars est essentialis compositi, & intrinseca; Assistens verò minimè; & ideò incompleta illa, quia pars, & non totum; hæc verò, scilicet Assistens, completa.

Cœ-

Cœlo quiescente nil amplius mouetur. *2. de Ortu T. 69. & 1. Meth. c. 1.*

SVmitur verum ordinatè, non inordinatè; fierent enim subitò corruptiones rerum, sed inordinatè, hoc est non consuetis dispositionibus, ac modo agendi. Item sumitur verum de motu purè physico, & integro, non de metaphysico, aut alio cæpto motu: quocircà, si per impossibile Cœlum quiesceret, & saxum iam cæpisset descendere, adhuc descenderet, & cæptum motum terminaret, quoniam Natura maximè sollicita est de vnione partium cum suo toto. Deniq; verum de motu naturali integro, non de violento, & præter naturam, vndè volunt, quòd si quiesceret Cœlum, & aqua violenter calida esset, quòd adhuc ad suam frigiditatem naturalem redigeretur.

Certum in omnibus non est quærendum. *1. Ethicor. cap. 2. & 7.*

INtelligitur hoc in particulari, non in communi. Amplius de certitudine experimentali, quæ est sensus, non de speculatiua, quia sic omnia indifferenter, etiam sine Logica, & medijs scibilibus, mouere, & excitare possunt intellectum, cuius motionis finis certitudo est.

Circulare maximè opponitur recto. *1. Cœli T. 25.*

EX hypothesi intelligitur, non simpliciter, itàut sensus sit, si vnquàm circulari aliquid contrariaretur esset rectum. Item tanquàm differentia, non species.

SKOLION. Est certum, quòd in quouis genere reperi-

tur

tur contrarietas differentiarum, *ex* 10. *Metaph. T.* 13. non tamen in omni genere est contrarietas specierum; vndè licet rationale, & irrationale sint contrariæ differentiæ, non tamen Homo, & Leo sunt contrariæ species, & sic inter rectum, & circulare est differentiarum contrarietas, non, &c.

Cognoscens an est, cognoscit & quid est. *2. Poster. T. 1.*

Consociatur vero de quid est nominis, non de quid rei, quod porrò difficilius est cognitu, propter quòd nos, lumine naturali, cognoscimus existentiam Dei, quæ per An est connotatur, & minimè quidditatem. Insuper verificatur, vel confusè, vel distinctè, non necessariò distinctè.

SKOLION. Quid nominis cognoscendum cum An est, ipsa nominis etymologia, & deriuatio est, vt e. g. quòd lapis dicatur à læsione pedis. Quid rei postea est ipsa definitio, putà aggregatio omnium prædicatorum in quid, vt quòd homo sit animal rationale, &c.

Cognitio per communia est cognitio quia. *1. Post. cap. 13. T. 30.*

Verum est de cognitione scientifica, quia talis debet esse per immediata, & per primam causam, non de alia cognitione: Insuper directè verum de communibus analogis, & æquiuocis, non vniuocis, quæ interdùm possunt esse immediata. Rursùs verum de communibus cum exclusione indiuidualium, & accidentalium tantùm, non propriorum; interdùm enim commune opponitur particulari, & interdū proprio: nunc sumitur, vt opponitur proprio, non, &c.

Co-

Cognitum debet adęquari potentiæ cognoſcenti. *1. Phyſ. T. 35.*

AD vnguem valet de adæquatione cognoſcibilis ad cognitum, quæ dicitur obiecti ad potentiam, non rei ad rem. Alij dicunt in eſſe repręſentato, non exiſtentiæ; ſimilitudo enim, in vi cognoſcitiua exiſtens, nō eſt principium cognitionis rei ſecundum eſſe, quod habet in potentia cognoſcitiua, at ſecundum relationem, quam habet ad rem cognitam, & hinc eſt, quòd non per modum, quo ſimilitudo rei habet eſſe in cognoſcente res cognoſcitur, ſed per modum, quo eſt repræſentatiua rei.

Color mixtura eſt luminoſi cum opaco. *1. Paruorum naturalium cap. de viſione.*

PRobè intelligitur de colore corporibus mixtis attributo, non ſimplicibus, nàm per Ariſtot. *libro de Coloribus cap.* 1. elementis color aliquis aſſignatur, vt aeri, & aquæ color albus; igni, & Soli flauus; terræ, modò hic, modò ille, cùm intinctione multicolor fiat, vt per aduſtionem in cinere, alba; in humido, nigra, veluti in luto, &c. Item de colore ex qualitatibus elementorum dictorum producto, non Cœleſtium, ſicuti eſt lux Solis, & Lunæ.

Concretum definiri nequit. *7. Met. T. 13. & 18.*

VAlet de concreto ex partibus eiuſdem naturæ, non diuerſarum naturarum, quoniam iſtud æquipollet vniuerſali. Item definitione propriè dictâ, & comparatiuè ad abſtractum, non definitione impropria, & deſcriptiuâ.

SKOLION. Quinque, secundum Scotum in sua Logica, sunt conditiones eius, quod definitur; prima, vt sit ens positiuum, & ideò cœcitas non definitur, nisi per visum; secunda, vt sit per se vnum, & ideò, quæ sunt vnum per accidés, vt homo albus, non definiuntur; tertia, vt sit ens reale; quarta, vt sit compositum & genere, & differentia, vndè Deus non definitur; quinta, vt sit abstractum, & commune, quocircà singularia, vt infrà, non definiuntur.

Commune prius est proprio. *1. de Partibus Animalium cap. 1.*

ADæquatè verificatur, quando vtrũque, non vnius generis sunt, at diuersorũ, & sic contingit de gratia vnionis in Christo Domino, quæ non est in genere gratiæ habitualis; & propter hoc, licet ista communis sit hominibus, & Christo, tamen non est prior illâ, dicente D.Tho. 3. p. q. 8. ar. 13. ad 3.

D Tho. 3. p. q. 8. ar. 13.

Communiora priora sunt minus communibus. *1. Phys. T. 2.*

APprimè intelligitur de communioribus secundum essentiam, non secundum accidentia; hinc animal, quia est communius secũdum essentiam ipso homine, dicitur quoque prius ipso homine, non sic autèm color respectu animalis. Amplius intelligitur de cognitione potentiæ intellectiuæ, non sensitiuæ. Item ordine scientifico, & methodo doctrinæ, quoniam non debet idem bis, & pluries repeti, vt inibi ad vnguem habetur, non naturæ, saltèm vt agit contra intellectum.

Com-

Comparatio vera non est secundum genus. *7. Phys. T. 31.*

GAudet omnimodâ veritate in genere logico, & remoto, siquidem in isto possunt esse æquiuocationes aliquæ ex *Phil 2. Post. T. 22*, & vbi æquiuocationes ibi nulla proba comparatio, nō in genere physico, ac proximo (quod speciei logicæ in hoc proposito vices gerit) quale est animal respectu hominis, Bouis, &c. vide paulò supra.

Contingit multa scire, & vnum intelligere. *2. Topic. cap. 4.*

VVlt intelligi vnico actu, & per vnam speciem, non per diuersos actus, & per diuersas species. Item distinctè, non confusè; directè, non reflexè. Cæterùm actu, & formaliter, non potentiâ, & virtualiter. Deniq; per modum vnius, non plurium.

Continere est formæ, contineri autem materiæ. *4. Cœli T. 35.*

POscit intelligi de continentia inferiorum, & imperfectorū, non de continentia subiectiua, & receptiua, quoniam tali modo forma continetur, & materia continet. Item de continentia actus, & naturæ, non quantitatiua, & materiali. Amplius de continentia essentiali, non in tali sensu, quòd materia sit de essentia formæ, sed quia essentia materiæ à forma ad determinatam materiam restringitur, minimè de continentia potentiali, quia sic forma continetur à materia, quemadmodùm homo continet animal essentialiter, & ab ipso potentialiter continetur.

Continuitas motus est penès ipsum mobile. *2. de Ortu T.62.*

INtelligitur verum materialiter, & passiuè, non effectiuè solùm, quoniam 12. *Metaph. T.*4. *&* 8. *Phys.* 1. inquit Arist. à motore prouenire, imò à Motore infinito: Amplius, tanquã ex clariori nobis signo, non adæquatè, & simpliciter.

Continuum est diuisibile in semper diuisibilia. *6. Phys. T.4. 1. eiusd. T.17. & 1. Cæli T.2.*

VLtra pensum certissimum est de continuo communi; & absolutè considerato, non de tali continuo, siquidèm minimum naturale, per Arist. 1. *Phys. T.*36. continuũ quoddam est, & tamen non est amplius diuisibile: Insuper sub disiunctione diuisionis mathematicæ, vel physicæ, non tãtummodò physicæ. Cæterùm, vel realiter, vel designatiuè; Cœlum enim continuum est, & tamen nisi designatiuè à nobis diuiditur, quòd dicitur à P. Rubeo ab intrinseco diuisibile, & ab extrinseco indiuisibile, quatenùs nullum datur Agens naturale potens ipsum diuidere.

Rubeus 1. Cæli.

Contra negantes principia non est disputandum. *1. Phys. T.8.*

VSurpatur verum de principijs scientiæ, & cognitionis, non de principijs rei, mixti, & naturæ. Insuper habitu consimili, non diuerso, aut dissimili, quâ ratione inquiunt Simplicius, & vetustiores, cum D.Th. in Comment. T.7. cõtra Parmenidem, & Melissum, aliosq; Proceres vera principia Naturæ, ac Physicæ negantes, Aristotelem disputasse, indutum .s. habitu metaphysico, non physico.

D. Tho. in Com. T.7. in Phys.

Con-

Contraria ſunt nata fieri circa idem. *In Poſt Cathegorijs cap. de Oppoſit.*

SVbſiſtit, quando ſubiectum æqualiter ſe habet ad vtrumquè contrariorum, non quando inæqualiter; hinc ſapientiſſimè dicit *D. Thom. in* 2. 2. *qu.* 23. quòd charitas, non eodem modo ſe habet ad augmentum, ac ad diminutionem, ſiquidèm poteſt habere cauſam agentem in augmento, ſed non minuentem in decremento. *D. Tho.* 2. 2. *qu.* 23.

Contraria ſub eodem ſunt genere, & maximè diſtant. *1. de Ortu T. 51. & in Cathegorijs cap. de Qualitate.*

APprobatur vndiq; de genere logico, non phyſico. Cæterùm de diſtantia ſecundũ quidditatem, & formam, non de locali, vel ſimpliciter dicta; vndè videmus, quòd capilli nigri, & cutis alba non maximè diſtant diſtanti â locali, eſtò ſecundum formam denominantem contrarientur. Amplius verum in naturalibus, & vbi contraria non ſunt genera, vt bonum, & malum; non in moralibus, & vbi contraria ipſa genera ſunt, vt iuſtitia, & iniuſtitia.

Contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. *1. Cæli T. 101.*

VAlet illatiuè de natura contrariorum ipſorum; cùm enim contrariorum contraria ſit natura, & intelligi ſequatur eſſe, oportet ex vno aliud melius cognoſcere: Sic pax ex lite; dulcedo ex amarore; probitas ex malitia &c. cogno-

ſcuntur, non effectiuè, ad producendam ſcilicet actiuiorem alterius ſpeciem; calor enim nō conuenit cum frigore ad frigefaciendum, neq; nigredo albedinem adiuuat ad diſgregandum. Itèm faciliùs, non magis cauſaliter, nàm contraria è regione ſibi oppoſita immutant ſimul potētiam, quæ, propter vtriuſquè propinquitatem, facilius inter ea diſcernit, quàm ſeiuncta.

Contraria ſimul eſſe non poſſunt. *1. Phyſ. T. 50. & 2. de Ortu T. 16. ac 9. Met. T. 19.*

De contrarijs omninò extremis verificatur, & abſtractiuè ſumptis Effatum iſtud, non verò de alijs, lato tantùm vocabulo contrarijs dictis; conſtat enim eundem hominem poſſe eſſe ſeruum, & dominum, partem, & filium reſpectu diuerſorum. Item de contrarijs in eſſe intenſo, non in eſſe remiſſo, ſiquidèm in tepore videmus frigidum, & calidum eſſe, ſed remiſsè.

Contrarij motus non ſunt vnius ordinis. *2. de Ortu T. 56.*

Intelligitur vnius ordinis ſpecialis, non generalis, & ſic diuerſi ordines diuerſorum miniſtrorum, ordinantur ad gubernium vnius Ciuitatis, vt diuerſi motus diuerſarum rotarum ad vnum modificatiuum horarum in horologio. Item vnius ordinis operationum, quia contrariorum contrariæ ſunt operationes, non communis qualitatis, vt infrà.

Con-

Contrariorum contrariæ ſunt rationes. *2. de Generat. T. 56. & 5. Met. T. 2.*

IN compertò eſt reduplicatiuè, quatenùs.ſ.contraria ſunt, non ſimpliciter, & abſolutè. Cæterùm de illis, quæ immediatè concernunt dictam contrarietatem in ratione contrarietatis, & ideò, ſi virtus expeti debet, vitium neceſſariò eſt fugiendum, non de illis, quæ ſolùm ſimilitudinem cõtrariorum gerunt; quocircà, ſi prodigalitas vitioſa eſt, non propter hoc laudabilis eſt auaritia, quæ ſimilitudinem contrarij gerit cum ea. Rurſùs de illis, quæ per ſe contrarijs conueniunt, non per accidens; vndè non valet album eſt dulce: ergo nigrũ eſt amarum. Tãdem verũ de priuatiuis ſemper, non de poſitiuis, & hinc experimur nigrum, & album conuenire in colore, & in eſſe viſibili, licet inter ſe opponãtur.

Contrarietas in paſſionibus ſecundum contrarietatem motuum ſumenda eſt. *3. Phyſ. T. 19.*

ADæquatè verificatur de paſſionibus in iraſcibili poſitis, non in concupiſcibili; cum enim iſtæ nouem ſint, Amor videlicet, Deſiderium, Odium, Delectatio, Fuga, Triſtitia, Spes, Deſperatio, Timor, in paucis porrò iſtarum motus localis eſt. Amplius valet de cõtrarietate ſecundũ acceſſum, & receſſum à termino, non ſecundũ terminos ipſos.

Contrariorum eadem diſciplina eſt, & ſcientia. *8. Phyſ. T. 8.*

PRo compertò habetur reſpectu ſubiecti, quoniam contraria ſunt apta fieri circa idem, non reſpectu obiectorum,

rum, quandoquidèm omnis ſcientia ab obiecto denominatur, & contrariorũ contrariæ ſunt rationes, vt infrà. Rursùs reſpectu generis, in quo conueniunt, non formæ, quæ ea cõſtituit, niſi fortè confusè, & gratiâ negationis, quam vnum debet de altero dicere.

Contrariorum vnum neceſſariò deſtruit aliud. *In Poſt Cathegorijs cap. de Oppoſ.*

Valet de contrario actiuo naturali, neceſſariò propter finem operante, ſecundum .ſ. exigentiam ſuæ naturæ, non de libero; propter quòd ignis debitè applicatus ſtuppæ non poteſt non comburere; at Agens liberum, ſiuè applicatum, ſiuè non poteſt agere, & non agere: Vlterius de contrarijs extremis, integro ſuo conatu agẽtibus, nõ de remiſſis.

Conueniens fit à cõuenienti. *7. Met. T. 28. & 30.*

In ſubſtantialibus, & eſſentialiter ordinatis patẽs eſt, non in accidentalibus, & quæ inordinatè coniunguntur: Amplius patens eſt in puris naturalibus, non in violenter alteratis, quę etiam alio nomine à Metheoriſtis per antypariſtaſim dicuntur: Inſuper in ijs, quæ à cauſa per ſe, ſiuè naturali, ſiuè non, fiunt; non à Fortuna, aut à Caſu: quarè Deum infinitum incarnari, ſpiritum corpori vniri, &c. quæ ſecùs inconueniẽtia viderentur, maximè conueniunt, nedùm quia per viſibilia noſtra inuiſibilia Dei demonſtrantur, vt ait D. Paulus 1. ad
D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 1. Rom. ſed propter infinitam bonitatem eius, ita D. Tho. 3. p. q. 1. ar. 1. ad 2. Cæterùm in illis valet, in quibus Agens tale eſt in potentia, & virtute, qualis eſt effectus in actu, ſiquidèm operatio Agentis eſt tantùm extrahere rem de potẽtia in actum, & pro determinata actione eſt ſemper determina-

tum

tum Agens, non in alijs, & vbi tantùm accidentia producuntur, quę porrò accidentia determinatum Agens non habent.

Cor est organum motus localis. *3. de Ani. T. 55. & de Somno, ac Vigilia cap. 3.*

PRobè intelligitur de organo primi motus localis animalium, ità vt sit verum animæ instrumentum, & primum quo patratur talis motus, non absolutè, quasi ab ipso, & per ipsum exerceatur motus localis, nàm adsunt musculi, nerui, fibræ, tendines, & .quæ videntur fortiora instrumēta, & magis proxima motu. Itē de organo purè naturali, nō animali.

SKOLION. Vis motrix sensitiua duplex est; alia naturalis, alia animalis. Naturalis est, quæ non mouet ex apprehensione, neq; subiecta est imperio rationis, & talis est virtus vitalis, & pulsatiua, quæ mouet arterias, & venas pulsatiles, & hæc porrò in eodem est, vt in organo primi motus, iuxta sensum Arist. Animalis postea motiua est, quæ motum exercet, præsuppositâ apprehensione, & est in musculis, neruis, lacertis, vt in immediato, & proprio organo, quandoquidèm ab Arist. *2. de Partib. animal. c. 1.* habetur organum propriè esse instrumentum, per quod exercetur actio; modò cōstat motum localem progressiuum exerceri per dictas partes.

Corpus continuum est ter, & vndiquaq; diuisibile. *1. de Cœlo T. 3.*

VAlet successiuè, non simultaneè, qui error fuit Democriti, damnati ab Aristot. *T. 10. 1. de Ortu*, super quem textum Io: Grammaticus dat exemplum de crastino, in quo potest dici est dies, sed non tota dies; Amplius valet ly *ter* secundum speciem diuisionum, non secundum numerum ea- *Ioann. Gramm. 1. de Gener.*

run-

rundem: Cæterùm de corpore continuo physico, nō Mathematico, aut quanto solùm.

Corpus definitur essentialiter per materiam. *11. Metaph. cap. 2.*

DIrectè de physico corpore intelligitur, non de mathematico, vel metaphysico, quæ duo abstrahere à materia pro certo est.

SKOLION. Peripateticos non latet quadruplex corpus dari, aliud Logicum; physicum aliud, mathematicū tertium, & quartum metaphysicum: Logicum est genus in Cathegoria substantiæ, ita Henricus Castaneus in suis Distinctionibus Philosophicis litterâ C. Physicum est, quod ex materia, & forma coalescit, & totum physicum, seù compositum naturale dici solet. Mathematicum est mensura perfectè quanta, diuisibilis per longum, latum, & profundum, iuxtà ea, quæ habet Euclides 1. *Geometricor. cap.* 1. Metaphysicum deniq; locus intransmutabilis substantiarum separatarum. quale est Cœlum Empyreum secundum P. Bannes super primam Diui Thomæ, receptaculum scilicet Beatorum immobile, & sempiternum.

Castan. lib. Dist. litt. C.

Euclid. 1. Geom.

Bannes in 1. D. Thom.

Corpora, quæ se tangunt, etiam per modum loci, & locati, inuicèm actiua, & passiua sunt. *4. Physicor. T. 48.*

CVrrit promptè de corporibus secundum suas qualitates consideratis, non secundum suas formas substantiales, quas habent ex influentia corporis Cœlestis, quod primus locus est, cunctis impertiens vim locatiuam, qua mediâ tota

Vni-

Vniuersi concinnatio habetur, & conseruatiuam virtutem locati locum habere dixit Arist. *in cap.* 10. *Libri citati*: Amplius de corporibus eandem communem transmutationis materiam habentibus, non de alijs, vt sunt corpora Cœlestia, quæ, si secundum extrema se tangunt, non tamen inuicèm agunt, & patiuntur, quoniam non communicant in materia cum nostratibus.

Corruptibile, & incorruptibile genere differunt. *10. Metaph. T. 26.*

CErtitudinem habet de genere physico, & proximo, non de ipso logico, & remoto, nàm clarissimum est nostratia, & Cœlum, imò & Intelligentias ipsas in eodem esse genere logico substantiæ, quatenùs vniuocè in perseitate conueniunt; & ab eadem differentia diuidente genus contrahuntur, & tamen illa incorruptibilia sunt, inferiora verò, & nostratia corruptibilia: Item certum, sumpto genere pro natura, non pro cõmuni principio prædicationis; certum namq; est, quòd natura corruptibiliũ, & incorruptibilium differt.

Corruptibile ex se non perpetuatur ab alio. *1. Cœli T. 127.*

SVbsistit verum de corruptibili secundum totum, non secundum partium succussionem, ita Auerroes in Com. T. 121. Rursùs ab Agente naturali extrinseco, benè autèm à supernaturali, & primo deniquè secundum idem sui, putà secundum eandem formam numero, non secundum aliam, & aliam partem sui, & ita Cœlum ab extrinseco, putà ab Intelligentia dicitur perpetuari, quia scilicet eius partes, & circulationes successiuè corrumpuntur, ipsa verò eius substantia, non, &c.

Auerr. in Com. T. 121. 1. de Cælo.

Iand. 1. Cæli qu. 35. c. 2.

Corruptionis maxima causa tempus est. *4. Phys. T. 120.*

INtelligitur de causa impropria, non de propria; nos enim ignorantes, cur in senio e. g. Socrates repentè moriatur, dicimus causam esse tempus, cum possit esse quid aliud: Item de maxima causa in coadiuuando, non de principali, & immediata, & ratio est, quia per tempus resoluitur humidum radicale, & debilitatur calidum, in quo vita manet, iuxta Arist. in *de Paruis naturalibus cap.* 4. Vlterius intelligitur de causa corruptionis naturalis, non violentæ.

Corruptis nobis corrumpuntur omnia, quæ sunt in nobis. *1. de Ortu T. 16. & 23.*

VAlet de nobis secundũ nos totos, non de nobis secundum vnam partem tantùm, nàm possunt remanere, quæ sunt in alia comparte non corrupta; hinc corrupto homine non corrumpuntur proprietates animæ rationalis: Cęterùm valet, nisi succedat alia causa æquè potens ad illã conseruanda, secùs minimè.

Cuius est potentia eius est actus. *In Paruis naturalibus cap. de Somno, & Vigilia.*

VAlet tanquàm principij, à quo fluit, quoniam actio fluit à subiecto habente potentiam agendi, non tanquàm subiecti, itàut in subiecto, in quo est potentia, debeat esse actio. Itèm de potentia actiua, quæ est qualitas, non de passiua, quæ incompleta substantia est, & donatur materiæ. Deniq; nullo posito impedimento, siquidèm conatus naturales frequẽter non sunt frustra, secùs minimè. Cu-

Cuius eſt vita eius eſt aliquod principium. *2. de Anima T. 7.*

DE vita corporali poſtulat intelligi, non de intellectuali, & ſempiterna: Amplius de illa, in quâ viuens non eſt ſuum eſſe, minimè de oppoſita, vndè neceſſe eſt Deum excludi, qui viuit ſine principio, cum ſine omni principio, ſit ſuum eſſe.

Cui differentia ineſt, ineſt & genus. *5. Met. T. 4.*

FIrmum eſt de differentia prædicamentalium, & dependentium, non tranſcendentalium, & eorum, quæ ſe totis obiectiuè differunt, & in nullo quidditatiuè conueniut, vt Deus, & Creatura. Item in ijs, quæ determinatum eſse habent, non infinitum.

Cuicunque cauſæ debet ſuus correſpondere effectus. *2. Phyſ. T. 48. & 5. Met. T. 3.*

HAud dubiè intelligitur de cauſa vniuoca, & non impedita, minimè de æquiuoca, infinita, & non impedibili, qualis eſt Deus; vndè manet ſẽper, & manſiſſet ſemper cauſa infinita, eſtò nullũ produxiſſet effectum. Dicunt Alij valere de cauſa naturali neceſſariò agente, nõ de libera liberè operãte.

Cuiuslibet mobilis pars poteſt per ſe quieſcere. *7. Phyſ. T. 2.*

SVb hypoteſi, hoc eſt ſub conditione, vult intelligi, non abſolutè. Amplius indiſtinctè, non magis ſcilicet hæc,

quàm illa, non distinctè, aut determinatè hæc, quàm illa, pari modo, ac de motu.

D

Dans formam, dat & consequentia formam. 8. Phys. T. 32. & 33.

Liquidum est de causis per se, non per accidens. Item in naturalibus præcisè, nõ in artificialibus, aut moralibus; constat enim, quòd qui dat formam pilæ Artifex, non dat suum colorem, neq; suum pondus, &c. benè autem agẽs naturale generans, & ideò, qui producit naturam lapidis, producit & grauitatem, & duritiem, &c.

Dato vno contrariorum in natura, datur & aliud. 2. Cæli T. 18.

Graue Effatum est hoc, intelligendum de contrarijs positiuis, quæ ex primis qualitatibus proficiscuntur, non de priuatiuis; patet namq; quod summum bonũ, & summum malum opponuntur, & tamen si datur primum, non est opus dare secundum: nec si datur finitum, opus est dare infinitum, si plenum, vacuũ, &c. Amplius intelligibile est in vniuersali, respectu .s. totius Naturæ, vt sic manuteneatur inconcusse ordo Vniuersi, non in particulari respectu alicuius determinati subiecti: quapropter, si in me est sanitas, procul dubiò non est opus, quòd sit ægritudo; si visio, non cœcitas, &c.

Dedecet amare se ipsum. 9. Ethic. cap. 4.

De amore inordinato vult accipi, cum exclusione scilicet summi boni iustè amabilis, non de ordinato, & pari-

pariter cum debita subalternatione ad Deum sūmè bonum; & ratio potest esse, quia inordinatè amans aliquod reprehenditur, amans autem se ipsum, cum dicta subordinatione ad Deum, commendatur, & laudatur: Insuper debet accipi verum de amore amicitiæ, qui est ad alterum, non beneuolentiæ, neq; concupiscentiæ, quibus desideratur bonum ei, quod amatur, cùm vnusquisq; possit hoc facere respectu sui.

Deficiente in nobis aliquo sensu deficit scientia illius. *1. Post. T. 43. & secundum aliam versionem 134.*

PRo compertò est de scientia experimentali, quæ planè superari non potest ab alia certitudine, iuxta Arist. 1. *Metaph cap.* 1. non de ea, quæ per traditionem, ac processum doctrinalem habetur. Amplius verum est de deficientia priuatiua, & totali, quæ à natiuitate est, non de alia posteriori, vel secundum quid inscripta.

Definitio datur causa innotescendi. *6. Top. cap. 3.*

ADæquatè subsistit in absolutis, non in relatiuis, siquidem vnum relatiuum non est notius altero, ita vt possit esse causa notitiæ alterius, vt definitio respectu definiti, sed ambo connota sunt, idest simul nota; vt infra litterâ V. Item in tali sensu, vt definitio faciat innotescere definiti naturam, non quomodocunque, sed specificam solùm, quæ aggregatur ex genere, & differentia vltima illius. Cæterùm innotescendi per demonstrationem, & scientifico modo, non, &c.

De-

Definitio debet tradi per notiora, & priora. *6. Topic. cap. 3.*

APprobatur in rebus abſolutis, nō in relatiuis, quoniam, vt ſupra, vnum relatiuum per aliud definitur, vt apparet de genere, & ſpecie apud Porphyrium in ſua Iſagogi. Cæterùm de notioribus ſimpliciter, ſiuè ſecundum naturam, non de notioribus nobis.

Porphyr. in Iſagog.

Definitio eſt pars demonſtrationis. 1. *Poſt. T. 22.*

VAlet ad vnguem de definitione quidditatiua, & eſſentiali, non de deſcriptiua tantùm. Itèm de parte ſubiectiua habente denominationem totius aliquo modo, non integrali, aut alia.

SKOLION. Triplex eſt pars, alia integralis, alia eſſentialis, & alia ſubiectiua: Integralis eſt, ſine qua adhuc totum ſubſiſtere poteſt, vt manus e. g. ſine vno digito, vel caput ſine vna aure, & talis porrò non denominatur nomine totius: Eſſentialis eſt, ſine qua totum non ſubſiſtit, ſicuti anima reſpectu hominis, & pariter iſta non inſcribitur, neq; nominatur nomine totius (quicquid perperàm dixerit Plato, & alij poſt ipſum de anima noſtra ſeparata) Subiectiua deniq; eſt ipſum minus commune immediatè contentum ſub magis ſuo communi, vt homo e.g. ſub animali, & iſta planè nominatur nomine, quo nominatur totum, & ab Ariſtot. ipſi definitioni attribuitur reſpectu demonſtrationis.

De-

Definitio non traditur per negationem. *6. Topic. cap. 3.*

VErum est cæteris paribus, secùs falsum. Amplius verum de definitis positiuis, & absolutis, non priuatiuis, & de quibus aliam notitiam nō habemus, quàm per sensum, & per inferiora. Tandèm de illis, quæ quidditatiuè cognoscere possumus; & definire, non de alijs; propterquòd Deus negatiuè à Philosophis est definitus, putà pro illo, qui cuncta mouet, & à nemine mouetur.

Definitio non dicit esse, vel non esse. *2. Post. T. 10. & 8. Metaph. T. 6.*

VErum est, dùm illa componit, nondùm exponit, quia sic opus est, vt affirmet, vel neget de definito aliquid, & omni affirmationi, quinimò & negationi substernitur esse, siquidèm ab eo, quòd res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa, ex Philos. *in 1. Cathegoriarum*. Item, pròut attinet ad primam operationem intellectus, & solam dicit essētiam, non pròut respicit passiones, quarum ipsa est causa. Rursùs verum de definitione, pròut continet solum verum transcendentale, non pròut complexa oratio ex subiecto, & prædicato, ex genere, & differentia.

SKOLION. Duplex verum cadit in intellectu nostro, & duplex iudicium de eo, primum est, quo intellectus intelligit verum, vt est, & falsum, vt non est, & hoc verum, ac falsum sunt in prima operatione intellectus, & ipsi definitioni adaptantur ex Philos. 1. *Post. cap.* 8. Secundum est, quod est verum per cognitionem alterius, quod non est verum, & porrò istud non cadit in prima operatione, neq; in definitione. Primum

mum iudicium de vero est simplex, quia est per modũ vnius simpliciter apprehensi, absq; bina prolatione, & compositione terminorum, & propter hoc ad primam spectat operationem, quæ simplex est, dicente Philos. *3 de Anima T.* 22. & 23. Secundum verò est cum efficientia propositionis affirmatiuæ, vel negatiuæ, & ideò complexum dictum est proprium secundæ operationis, & à definitione alienum, vndè Antonius Roccus *3. de Anima qu.* 20. *ad* 3. dicebat aliud esse efficere propositiones affirmatiuas, & aliud iudicare, & apprehendere: In effectione porrò componuntur, at in iudicio, non, &c.

Anton. Roccus 3. de Anima.

Definitio tota est per vltimam differentiam. *7. Metaph. T. 45.*

Apprimè verum, vt inclusiua aliarum, non seorsim tantùm: Prætereà verum ex parte differentiarum connotantium formam definiti, non omnium indifferenter construentium, aut concurrentium ad definitionem. Vlterius tota ex parte formalium, non materialium.

Definitum, vt totum, prius cadit in cognitione nostra, quàm partes definitionis. *1. Phys. T. 5.*

Currit fæliciter de cognitione nostra rudi, & confusa, non elaborata, distincta, & scientifica; partes namq; omnes possunt dupliciter cognosci, primò absolutè, secundum quòd in se sunt, & ita possunt prius cognosci, quàm totum, vt lapides, quàm domus; secundò, vt sunt partes huius totius c. g. & sic oportet prius cognoscere totum, quàm partes, & consequenter definitum prius, quàm definientia.

De-

Delectatio, & tristitia sunt eiusdem subiecti. *2. de Anima T. 27.*

VAlet secundùm quòd ambo dicunt de formali, non secundum quòd dicunt de materiali, quoniam sic priuatiuè opponuntur, & subiectum tale nequit naturaliter, ac supernaturaliter esse simul receptiuum amborum, sed successiuè, imò de consueto vnius naturaliter, & alterius violenter. Cæterùm valet de subiecto transmutabili ad passiones sensus, non de alio; quocircà in Beatitudine sola delectatio, & non tristitia est, ac proindè Beatus semper lætus, & nunquàm tristis, aut mærens, dicente D. August. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus.

Delectatio non est motus physicus. *10. Ethicor. cap. 4.*

VAlorem habet præcisè, & vt apprehensa à potentijs vitalibus, non cum exclusione absoluta dicti motus; ait enim in Paruis naturalibus Aristoteles delectabile esse deambulare, & tamen deambulatio motus physicus est. Præterea de delectatione morali, quæ in Theoricis habetur, vel de delectatione consumata, quæ habetur in summa fælicitate, non de sensibili, & naturali tantùm.

Delectatio passionem dicit. *2. de Anima T. 143. & 2. Ethic. cap. 14.*

GErmanum habet sensum de delectatione, quæ est passio subiecti corporalis, non quæ significat actum appetitus intellectiui. Amplius valet de passione, quæ affectum

dicit, & qualitas est, non quæ dolorem incutit, & tristitiam.

Delectatio vehemens tristitiam excludit, nedùm oppositam, sed contingentem. *10. Ethicorum. cap. 2.*

PEr se de contraria tristitia intelligitur, & per accidens de contingenti, quandoquidèm, ex eodem Philosopho in inferioribus, vis potentiarum animæ in vehementi operatione, & applicatione circa vnum, impeditur erga aliud. Vlteriùs actualiter, non habitualiter.

Demonstratio procedit ex causis. *1. Post. T. 7.*

GErmanum habet sensum de causis cognoscendi in demonstratione *Quia*; cognoscendi verò, & essendi (quantum possibile est) in demonstratione *Propter quid*. Item de proximis, & immediatis, non de remotis. Vlteriùs de per se, non de per accidens.

Demonstratio vniuersalis potior est demonstratione particulari. *1. Post. cap. 18. T. 39.*

VSurpatur verum pro quanto, cognito vniuersali, cognognoscitur, & particulare, saltèm potentiâ, & virtute, sed non è conuersò, cognito particulari, cognoscitur vniuersale, siuè actu, siuè potentiâ, vt infrà.

SKOLION. Quòd cognitâ singulari propositione non agnoscatur vniuersalis, siuè actu, siuè potentiâ intelligitur sub ratione propria vniuersalis, quia licet cognouerimus omnes homines in particulari esse risibiles, adhuc non agnoscimus pro-

propoſitionẽ vniuerſalem ſub propria ratione, putà omnem hominem eſſe riſibilem, ſed tantùm per accidens; ſub aliena autèm ratione non obſtat, vndè in fine *1. textus 1. Poſt.* inductionem (quæ eſt ex ſingularibus) oſtendere ipſum vniuerſale per id, quod notum eſt nobis, ſcilicet ſingulare, dicit, ita Chartarius Contr. 3. 1. lib. Poſt. *Io. Lud. Charr. Contr. 3.*

Demonſtratione circulari non vtendum eſt. *1. Poſt. cap. 3. T. 6.*

INtelligitur reſpectu eiuſdem generis demonſtrationis, nõ in alio, & alio genere, vt e. g. quando ex efficienti cauſa demonſtratur finis, & ex fine ipſum efficiens, quemadmodùm Ariſtoteles in Analyticis facit demonſtrando ſanitatem per deambulationem poſt cœnam, iuxtà cauſam efficientem, & deinceps deambulationem poſt cœnam per ipſam ſanitatem. Amplius intelligitur reſpectu eiuſdem numericè ſumpti, non reſpectu diuerſorum indiuiduorum, vt ipſe facit *2. Poſt. cap. 6.* vbi ex præſenti pluuia vaporem futurum, & ex vapore præſenti futuram pluuiam demonſtrat. Cæterùm per circulum redeũtem ad idem nnmero, non ad idem ſpecie. Tandèm ſecundum Auerroem libro Concil. Controuerſia præſenti, circulari non vtendum, tanquàm efficaci demonſtratione, quicquid ſit de apparenti, & probabili. *Auerr. lib. Concil. c. 3.*

De ratione elementi eſt, quòd ex illo aliquid fiat reſolubile in ipſum. *3. Cœli T. 31.*

COmperitur verum cum alio, non ſeorsìm, aut ſe ſolo, quandoquidèm ex igne ſolo, aut aqua ſola nil fit; vndè à Metheoriſtis dicitur ignis ſpecialiter forma in aliena materia, ad differentiam aliarum formarum eductarum de

ſinu materiæ, quæ dicuntur formæ in propria materia. Item partialiter, non totaliter; vndè nullu n verum mixtum eſt ex vno tantùm, aut ex duobus elementis.

De ratione rei perfectæ eſt ſe communicare alijs. 1. Ethic. c. 1.

SVb diſiunctione, vel ad intra, vel ad extra intelligitur, nõ neceſſariò ad intra, vel neceſſariò ad extra, nàm Deus ſemper fuiſſet perfectiſſima res, eſtò non produxiſſet hunc Mundum, vel aliquam aliam creaturam. Inſuper intelligitur, vbi tota non reperitur materia, vt eſt in Vniuerſo, aut tota perfectio incompatibilis cum alio, vt in Deo. Rursùs, vel quoad munera, & beneficia, vel quoad naturam; liquet enim, quòd non omnibus ſecundo modo datur communicatio, ſiquidèm Mulus eſt perfectus ſecundum naturam, & pariter, qui cœlibatum ſeruant homines perfecti ſunt, ſecundum naturam ſpeciei, & indiuidui, & tamen non ſe communicant, ſibi ſimile generando.

De ſola ſubſtantia determinare eſt de omnibus determinare. 7. *Metaph. T. 3. 4. & 8.*

OPtimè intelligitur de omnibus fundamentaliter, non formaliter, cùm totum ens nõ refundatur in ſubſtantiam ſolam *ex 5. Metaph. T. 13.* Rursùs principaliter, non abſolutè; ex quo fit, vt ſubiectum Metaphyſicæ, quæ eſt ſciẽtia communiſſima, non conſtituatur tantùm ens ſubſtantia, ſed ens commune ad eam. & ad accidens.

De

De ſubiecto oportet præcognoſcere quid eſt. *1. Poſt. T. 2.*

VErum eſt de ſubiecto reſpectu ſuæ propriæ paſſionis, non de ſubiecto ſcientiæ. Item de quid eſt nominis reſpectu ſubiecti ſyllogiſtici, & ſcientifici, quid rei verò reſpectu ſuæ paſſionis.

Deſiderium naturale fruſtra eſſe non poteſt. *2. Cæli T. 37. & 2. Ethic. c. 1.*

POſtulat intelligi in promouendo, non in aſſequendo; multæ enim circumſtantiæ à conſecutione finis poſſunt retrahere, vt ſunt difficultas operis, illecebræ ſenſus, maior aliundè vtilitas, &c. Amplius cæteris paribus, minimè imparibus. Item quoad primum conatum, non quoad alios ipſum primum ſequentes.

Deſtructo corpore, anima neq; amat, neq; reminiſcitur. *1. de Anima T. 66. & 3. T. 20.*

INtelligitur de amore, & reminiſcentia, quæ ſunt paſſiones animæ ſenſitiuæ, cuius actus, corpore corrupto, non poteſt remanere; nàm dicebat Ariſt. *3. de Anima T. 39.* oportere nos ad phantaſmata conuerti, nō de illis, quatenùs poſſunt eſſe paſſiones animæ intellectiuæ, ſiquidèm & intelliget anima noſtra, & melius intelliget. Prætereà intelligitur illo modo, benè autem diuerſo.

Deus,

Deus, & natura faciunt semper, quod melius est. *1. Cæli T. 32.*

VErificatur de meliori simpliciter, non secundum quid. Amplius respectu efficientis, & finis vniuersalis, quoniam quæcunq; fiunt ab istis, non possunt à meliori efficiente effici, & meliori, ac præstantiori fini ordinari, non respectu alicuius tertij, siue in particulari, vt paulò infra.

Deus, & natura nil frustra faciunt. *3. de Ani. T. 45. & 60. ac 1. Cæli summa 6. cap. 1.*

IN generali, & respectu finis vltimi habet verificari, non in particulari, & respectu singulorum indiuidualiter sumptorum; Natura enim propter finem agit, vt infrà, & ideò, quando non impeditur, nūquàm frustratur, & solùm in particulari impediri potest; Deus postea nunquàm, quoniam agendo, omnia ordinat ad se, & sic ordinata impossibile est frustrari.

SKOLION. Datur in natura naturata aliqua frustratio, respectu indiuidui, vt in abortu, & in productione monstri; sed duo cōsiderantur in simili productione, vnum est ipse effectus, & per hunc, neq; natura vniuersalis, neq; Deus dicuntur frustrari, quia non subterfugit Diuinum velle hic abortus; quinimò impedientes causas sequitur, naturaliter etiam causantes; alterum verò est modus productionis, & obsoleta, imò inordinata productio, neq; intenta ab agente proximo, neq; iuxta exigentiam passi, & sic in particulari monstrum, & abortus possunt dici aliquod frustraneum, vt lucidè infra litterâ M.

Deus

Deus nil intelligit extra se. *12. Metaph. T. 51.*

VAlet de cognitione abstractiua, & per speciem obiecti, nõ negatiuè, quasi quòd extra se nil intueatur, & sciat. Cæterùm nil extra se, absq; se; cum enim se ipsum compræhendat, intelligendo se, omnia alia à se intuitiuè intelligit, quia omnia alia extra se in sua Diuina essentia, quæ est adæquatum obiectum suæ cognitionis, repræsentantur, & continentur.

Deus vnus est. *12. Metaph. T. 49.*

REligiosum hoc Effatum est, purè intelligendum de vnitate naturæ, non suppositi. Prætereà de vnitate, quæ non dicit priuationem, cum nulla priuatio propriè in Deo sit, at solùm, quæ dicit totam, & omnimodam collectionem perfectionis. Tandem de Deo vero, & reali, qui est summũ bonum, summum verum, principium, & finis omnium, non de Deo metaphorico, &c.

Differentia sequitur naturam, quam contrahit. *7. Metaph. T. 43. & 51.*

PRobè intelligitur de differentia metaphysica, non de logica.

SKOLION. Differentia metaphysica est, quæ de pluribus, vt distinctis, dicitur; Differentia verò logica est, quæ de pluribus, vt distinctis, & conuenientibus in superiori communi dicitur, quoniam in hoc stat discrimen differentiæ logicæ à suo genere logico, quòd genus logicum non prædicatur de pluribus speciebus, vt differunt inter se, sed vt conueniunt; differentia autem logica prædicatur de speciebus,

& vt

& vt conueniunt, & vt distinguuntur, quandoquidē constitutiua est, & constitutiuum est quoq; distinctiuum, secùs verò de differentia metaphysica, & genere metaphysico.

Differentiæ vltimæ non suscipiunt magis, & minus. *8. Metaph. T. 5. & 6.*

INconcussæ est veritatis respectu substantiarum, non accidentium, quoniam in istis contingit ipsas quoq; differentias esse qualitates, quæ optimè suscipiunt magis, & minus. Item quamdiù sunt vltimæ, & conuertuntur cum specie, non alio modo. Deniq; quando sunt facientes aliud, & ingrediuntur definitionem, non quando sunt facientes alteratum tantùm.

Difficultas est de ratione meriti: Alter Textus de necessitate meriti. *7. Ethic. cap. 3.*

INtelligitur de difficultate, & magnitudine facti, non ex parte agentis, quatenùs .s. impeditum, & deficiens sentit erga rectas operationes difficultatem. Amplius intelligitur occasionaliter, prout .s. maioris conatus motiuum, cui maior gloria, vel præmium correspondere iustum est, non moraliter, neq; formaliter, quasi sit de forma, & specificatione meriti, seù (vt dicūt Alij) de integritate, ac quidditate meriti.

Difficultas intelligendi est penès intellectum. *2. Metaph. cap. 1. T. 1.*

REspectu immaterialium, & abstractorum intelligēdum est, & de nostro intellectu, respectu sui ipsius, non respectu corporalium, & eorum, quæ propè sensus sunt, nàm

tunc

tunc pendet ab ipsis rebus ex 2. *Metaph. cap.* 1. Præterea respectu intellectus creati, non increati, & Diuini. Rursùs in primordijs intellectionis, non in elaboratis conceptibus, & reflexis, prius enim inferiora se, deinceps se ipsum, & postea superiora se nititur intellectus creatus intelligere, à confusis incipiendo, versùs distincta ex 1. *Phys. T.* 3.

Difficultas percipiendi rerum differentias est paucitas nominum. *11. Metaph. cap. 3. T. 5.*

VErificatur penès nos, non simpliciter; Intelligētiæ nanquè, & Angeli penetrant naturaliter rerum differentias; nos verò cum vltimæ lateant, sæpè vtimur passionibus pro differentijs, vndè est, quòd Arist. in 1. *&* 2: *de Generat.* frequenter formas elementorum, nomine qualitatum, nominat. Item occasionalis difficultas, non formalis.

Difficilius voluptatibus resistimus, quàm iræ. *2. Ethic. cap. 3.*

IN confessò est, spectato toto dominio voluptatis, & actibus eius, non comparato vno, vel alio actu solùm, vndè est, quòd Arist. 7. *Ethic. c.* 7. inquit incontinentiam iræ minus peccatum esse incontinentiâ voluptatis. Item extensiuè, quia frequentiores sunt impulsus voluptatum, & durabiliores per cursum vitæ, quàm iræ, non intensiuè; vndè impetuosiores videmus homines in actibus iræ; quàm voluptatum, qui etiam naturaliter quæruntur, non sic autē actus iræ, vt Heraclito in tali textu concedit Aristoteles.

Diſpoſitio eſt ordo habentis partes. *5. Met. T. 24.*

SVbſiſtit in corporalibus tantùm, ſecundum mentem Simplicij, non in omnibus. Quò loci ſcire fas eſt cū Ariſt. diſpoſitionem, aut eſſe ſecundum locum, aut ſecundum potētiam, aut ſecundum ſpeciem. Secundum locum eſt ſpecies prædicamenti Situs, qui definitur à Simplicio ordo partium in loco. Secundum potentiam dicit idoneitatem ad aliquod perfectum patrandū, vt eſt virtus inchoata, ſicut Rhetorica reſpectu Philoſophiæ. Secundùm ſpeciem deniq; repręſentat perfectas diſpoſitiones, & promptitudinem ad actus, & iſtæ ambæ ſub qualitate ſunt, & non ſunt ordines habentium partes præciſè.

Simplic. in Com.

Diuerſa cauſa diuerſum producit effectum. *2. Phyſ. T. 38. & 5. Met. T. 2.*

VAlet de cauſa proxima, non de remota; ex hac enim remota diuerſitas effectuum nō arguit diuerſitatem cauſarum, & proindè, neq; iſta illos diuerſos; hinc videmus Solem, ſuo calore, generare Hominem, Leonem, Equum, &c. *ex 2. Phyſ. T. 26.* quæ animalia ſpecie diſtinguuntur. Inſuper valet de cauſis ſecundum propria conſideratis, non ſecundum communia.

Diuerſi actus ſpecie non tendunt ad eundē finem. *3. Phyſ. T. 19.*

SEruat ſuam veritatem, non quà actus ſunt ſolummodò, ſed quà naturâ, & ſpecie diuerſi; Formica enim poteſt, & per lineam rectam, & per circularem ad eundem termi-

num

num ſe ducere. Inſuper ſuam veritatem habet immediatè,& directè, non per ſubordinationem. Deniq; formaliter, non materialiter, vt infrà litterâ M. Item de actibus vniuocis, non æquiuocis.

Diuiſibilitas eſt paſſio quantitatis. *5. Metaph. cap. de Quanto T. 18.*

CVrrit de diuiſibilitate in partes integrales, quarum quælibet, de ſe, apta eſt eſſe ſine altera, diuulſa à toto, non de diuiſibilitate in partes eſſentiales, & entitatiuas; poteſt enim diuiſio in has entitatiuas contingere ſubſtantiæ antecedenter ad omnem quantitatem. Item de diuiſibilitate per ſe, non per accidens, quæ etiam qualitati conceditur ab Auerroe Libro Deſtruc. Deſcr. diſp. 1. Vlterius ſubiectiuè, non formaliter, vt infra. *Auerr. lib. Deſtr. Deſ. diſ. 1.*

SKOLION. Sicuti multa ſunt genera partium, ita & diuiſionis neceſſe eſt eſſe. Verùm hoc animaduertiſſe iuuabit, quòd ſæpè numero, cum diuiſione quantitatis in partes integrales, eſt aſſociata diuiſio totius vniuerſalis in partes ſubiectiuas, reſpectu tamen ſubſtantiarum homogenearum, ſed intellectus noſter fallit exiſtimans nullã eſſe differentiam inter vtramq; diuiſionem, cùm tamen maxima ſit; non enim totum integrale poteſt in recto, & formaliter prædicari de parte integrali, benè autèm totum vniuerſale de ſuis ſubiectiuis partibus; quarè, cùm non ſint vnius totius diuiſi, neq; æedem partes excogitari debent eſſe.

Diuisio rerum, aut est per formam, aut per quantitatem. *3. Met. T. 2.*

SVbsistit de diuisione reali, non de intentionali, & artificiali; sæpè enim à materia, & non à forma habetur; vndè pyramis lignea, & marmorea, non secundum formam artificialem differunt, sed secundum materiam, vel secundum quantitatem, si vna sit longior alterâ. Cæterùm de diuisione in partes physicè componentes, non entitatiuas, aut metaphysicè solùm construentes, vt sunt genus, & differentia.

Diuinum esse, ac Intelligentiarum non est in tempore. *4. Phys. T. 119.*

VT in propria mensura intelligitur, non autèm, quòd in omni tempore non existat Deus, cum suo esse, & Intelligentiæ, cum suo æuo; quæ enim æterna sunt (maximè per æternitatẽ non participatam, vt Deus) coexistunt omni tempori, licet non mensurentur tempore, quo caduca, & defectibilia mensurantur. Itèm non in tempore, vt veterascant secundum fluxum eius, quemadmodùm mortalia, benè autèm secundum veritatem enunciationis factæ per differẽtias temporis; vndè de Deo benè dicitur *est fuit, erit*, ac de Intelligentijs sunt, & erunt, vt notat Alamanius in de Veritate Enunciationis sub 1. de Interpr.

Alam. 1. de Interpr.

Diuinum primum Agens non incipit de nouo agere. *8. Phys. T. 15.*

REspectu sui hoc intelligitur, quia primo agenti increato nil noui accidit, ex adagio communi; non respectu no-

strùm

ſtrùm. Item quia immutabile eſt, & in factione rerum non mutatur, non quia liberè non velit, & iuxta tale velle non ponatur in Vniuerſo aliquod nouum.

Duo corpora nequeunt eſſe ſimul. *2. de Anima T. 69.*

PEr naturalem potentiam verè hoc intelligitur, non per ſupernaturalem: Item ſimul per identitatem, & per continentiam eiuſdem extremi, non per aggregationem, quo pacto lapides ſimul eſſe in pariete dicuntur.

E.

Eadem eſt ratio totius, & partium. *1. Cœli T. 19. & 1. de Anima T. 88.*

SVbſiſtit propriè de toto homogeneo, non etherogeneo. Item quoad eſſentialia, non quoad accidentalia. Cæterùm reſpectu loci, non proprietatum eius; partes enim habent, quòd ſint ſimplices, & cauſæ totius; totum verò, quòd ſit cauſatum, & compoſitum. Itèm penès ſpeciem, non, &c.

Eadem eſt potentia contrariorum. *3. de Anima T. 51. & 2. Reth. c. 19. ac 9. Met. T. 4.*

VErificatur de potentia vitali, & paſſiua, quoniam eadem eſt potentia viſiua videndi album, & videndi nigrum, non de actiua, & naturali, quæ neceſſariò agit, vt deſcendendi in ſaxo. Item verificatur reſpectu ſubiecti, non terminorum, in quos fertur, aut ferri poteſt. Cæterùm ſecundum rem, non ſecundum rationem, & ſic locutus eſt Ariſtotel. de po-

potentia in ordine ad contraria 3. *Phyſ. cap.* 2. dùm ait eandem non eſſe potentiam, quâ quis poteſt ſanari, & ægrotare. Deniq; eadem, ſed non eodem modo ſe habens, nàm ex 9. *Metaph. T.* 4. & 10. voluntas noſtra ſe habet ad bonum, & malum, at diuerſimodè, ad bonum ſcilicet appetendo, ad malum autèm fugiendo.

Eadem eſt ratio, quàm ſignificat nomen in omnibus. *1. Periher. cap. 2.*

OPtimè verum de Grammaticali ſignificatione, quæ, vel à declinatione caſuum nominis, vel à deriuatione ſumitur, non de logica, quæ eſt ſecundum artificioſam vocis ſignificationem. Item non ſimpliciter, ſed analogicè, hoc eſt proportionali modo.

Eadem in inferioribus non eſt per ſe cauſa contrariorum effectuum. *2. de Gener. T. 56.*

INtelligitur verum de contrarijs primarum qualitatum, non de alijs, alioquin non eſſet amplius verum intellectum eſſe cauſam affirmationis, & negationis, & voluntatem amoris, & odij: Quamobrèm vera in natnralibus præcisè, non in vitalibus, & liberis potentijs; vndè dicebat Ariſt. 3. *de Anima T.* 29. eandem eſſe in ſenſu potentiam delectandi, & dolendi, & in voluntate proſequendi, & fugiendi idem ſibi propoſitum.

SKOLION. Potentia naturalis, vt habemus in *Cathegorijs cap.* 4. & 5. *Metaph. T.* 19. neceſſaria eſt, & in vnum determinatè tendit, itàut, niſi violenter tendat in oppoſitum, vt quæ eſt in lapide ad aſcendendum; vitalis autem, & libera ſemper in vtrumq; contradictionis membrum poteſt, maximè

mè quoad exercitium, licet nõ quoad ſpecificationem actus, vt infrà; hinc de prima *3. Phyſ. T. 10.* declarat Philoſophus eandem non eſſe potentiam, quà quis poteſt ſanari, & ægrotare; de ſecunda autem *in 9. Metaph. T. 7. ac 3. Ethic. cap. 5.* de ſedere, & non ſedere, reſpectu eiuſdem hominis.

Ea, in quorũ materia non eſt principium actiuum, fiunt tantùm ab arte. *8. Phyſ. T. 28.*

INtelligi poſtulat, non quia præexiſtat naturaliter tale principium actiuum, cùm ſit, quod acquiritur, ſed quia quæ arte fiunt neceſſariò principium actiuum externum habent; dicebat enim ibi Philoſophus quędam eſſe, quę poſſunt fieri, & ab Arte, & à caſu, ſicuti ſanitas, quæ & arte Medicinæ, & deambulatione acquiri poteſt, & quædam alia, quæ nõ poſſunt fieri, niſi ab arte, vt domus, & ſtatua; & adducens rationem priorum ait, quia datur in illis pars aliqua, quæ poteſt aliquando eſſe principium actiuum internũ coadiuuans, vt eſt calor natiuus reſpectu ſanitatis, non in ſecundis.

Eadem nõ ſunt nobis nota, & natura. *1. Phyſ. T. 2.*

PRocedit de ijs, quæ non ſunt proportionata nobis, non de alijs. Prætereà de illis, quæ ſunt vt in pluribus, non vt in omnibus. Rursùs, ſecundum Piccolomineum, formaliter, non materialiter,

Eadem ſunt principia omnium Prædicamentorũ. *12. Metaph. T. 19. & 22.*

DE remotis, & communiſſimis principijs intelligitur Effatum, non de proximis, quoniam reſpectu iſtorum

Præ-

Prædicamenta impermixtà sunt dicente Philos. 3.*Phis.T*.4. Rursùm intelligitur proportione seruatâ, quia in omni Prædicamento est aliquid simile materiæ, & aliquid simile formæ; imò & priuationi, saltèm reductiuè, & indirectè, vt infra. Tandem in naturalibus, non in moralibus.

Eadem sunt, quorum substantia est vna. 9. *Met. T*. 2.

VAlet de substantia strictò modo, & quidditatiuè sumpta, & quæ à Græcis proprio nomine vsìa dicitur, non de substantia latissimo modo sumpta. Insuper de substantia, vt dicit naturam, & conuenientiam prædicatorum in quid, non quæ solùm à substando dicitur, & postmodùm aliquam prædicatorum essentialium diuersitatem admittit.

Ea, quæ diuidunt genus specie differunt. 10. *Metaph.T*. 25. *&* 7. *eiusdem T*. 43.

REctè sumitur respectu eorum, quæ immediatè diuidunt per modum formæ, non mediatè, & per modum materiæ, & propter hoc fœmina, & masculus *ex* 10. *Metaph.T*. 25. non differunt specie, quia immediatè non diuidunt genus, neq; per modum formæ, sed materiæ. Item de specie athoma, & specialissima, non interiecta, & subalterna.

Ea sunt vnum, quorum materia est vna. 5. *Met. cap*. 9. *T*. 16.

VErificatur Effatum de materia proxima, non de remota. Prætereà de materia affecta quantitate, cuius est propriè vnitatem constituere, & indiuisionem, vt infrà, non

I de

de quauis alia. Item vnum metaphysicè, quorum materia metaphysica, scilicet genus, eadem est; sic logicè, & physicè proportionaliter.

Ea scientia nobilior est, quæ est de nobiliori obiecto. *1. de Anima T. 2.*

PRobè verum est de obiecto formali, per quod principaliter distinguitur ab alijs, non de materiali; hinc etiam scientia de anima, quæ forma est, nobilior apparet scientiâ de corpore, quod est altera pars compositi physici, sed materialis. Amplius cæteris paribus, non imparibus, siquidèm speculatiua de eodem obiecto semper nobilior est ipsâ practicâ pariter de eodem obiecto, sicuti, quæ procedit per causas vniuersaliores, vt Metaphysica, quàm quæ procedit per particulariores.

Ea se tangunt, quorum extrema sunt simul. 1. *de Ortu T. 46. & 5. Phys. T. 22.*

VAlidè subsistit de agentibus, & patientibus corporeis, & proximis, non de incorporeis, & remotis, veluti (secundum Aristotelem) est primus motor respectu primi Cœli, & reliquæ Intelligentiæ respectu aliorum Cœlorum. Insuper de habentibus quantitatem, non de alijs, præciso tamen tactu metaphorico.

Æquiuoca sunt prius diuidenda, quàm definienda. *1. Cœli T. 110.*

VLtra pensum veritati deseruit de æquiuocis primò intentionaliter sumptis, non de illis secundò intentiona-

liter acceptis, cuius signum, quòd Aristoteles in proprio capite ea primum definit, deinceps diuidit.

Æquiuocis nominibus non est vtendum. 1. Phys. T. 25.

PErcipit suum valorem sub eadem æquiuocatione, & significatione, minimè sub diuersis, quòd dicunt Alij æquiuoca æquiuocè, nō æquiuoca tantùm, volentes in scientijs nos posse vti nominibus æquiuocis, sed non æquiuocè.

Æternorum æterna sunt principia, & mortalium mortalia. 1. Cæli T. 22. & 103. ac 3. Metaph. T. 15.

HAbet, quod intelligatur de principijs constitutionis, partà de intrinsecis, & per comparationem, non de principijs scientiæ; si enim de corruptibilibus scientia non est 1. Post. T. 7. quomodo principia alicuius scientiæ mortalia esse poterunt?

Æterno, & corruptibili nil est commune, nisi secundum nomen. 10. Met. T. 26.

ADæquatè subsistit de communitate physica, non logica. Item de communitate quantùm ad esse, non quantùm ad intentionem rei, quæ communiter prædicatur; Eas enim, quæ habent diuersum modum essendi, non communicant in aliquo secundum esse, quod considerat Physicus, sed benè in aliqua communi intentione, quam considerat Logicus; ex quo fit, vt corpus physicè sumptum dicatur æquiuocè

cè de corruptibili, & incorruptibili, sed non logicè, cum ratio corporis, secundum communem intentionem, eadem sit, vt ex nomine ipso, & partibus corporis constat. Itidèm de communitate similitudinis, quæ est secundum formam, non causæ, & causati, ita D. Thomas in Quæstionibus Disputatis de Simplicitate Diuinæ essentiæ qu.7.art.7. Tandèm nil commune vniuocum, benè autèm analogum. *D. Th. de Sim. q.7.ar.7*

Effectus assimilatur suæ causæ. *6. Metaph. T. 5. & 7. eiusdem T. 30.*

GErmanum habet sensum de lata similitudine, quæ proportionis dicitur, non identitatis, Insuper de causa proxima, principali, & vniuoca verum sensum habet, non de remota, & æquiuoca. Tandèm in specie, cuius naturam gerit, & ob quam ei relatiuus est, non in indiuiduo.

Effectus non potest esse nobilior suâ causâ. *5. Metaph. T. 2.*

VErum est de causa principali, & totali, non de minus principali, & partiali; quocircà liquet effectum generationis (qui porrò est substantia) quacumq; instrumentali causa nobiliorem esse. Amplius reduplicatiuè, qua .s. effectus est, & per comparationem ad causam, vt causantem, nõ absolutè, & simpliciter, Tandem verum de causis essentialibus, & per se, non accidentalibus.

Efficiens proprij forma est. *7. Metaph. T. 37. & 2. Phys. T. 11. & 12.*

VAldè clarum est de causa efficienti proxima, siquidèm proprium principaliter à forma emanat, vt calidum in summo ab igne, non de efficienti remota, quæ est agens illud particulare, quod produxit in eo naturam, quam gerit propriè, quoniam dans formam, dat, & consequentia formam, *ex 8. Phys. T. 32.* Rursùs clarum de efficienti principali, & totali, quod est ipsum compositum, non de partiali, & inadequato; hinc causa hinnibilitatis in Equo est totus Equus, non anima solùm eius, vel alia pars, ita Isendorn C. 2. nu. 16.

Isend. C. 2. n. 16.

Electio est desiderium eorum, quæ sunt in nobis. *3. Ethic. cap. 2.*

IN confessò est, vel ex parte cognoscitiuæ virtutis, vel appetitiuæ, non vnius tantùm; vndè *6. Ethicor. cap. 2.* sub dubio reliquit, an electio magis spectaret ad vim appetitiuã, quàm ad cognoscitiuam, quod postea alibi declarauit, dùm eam appellauit desiderium consiliabile, quod sanè consilium est intellectus. Cæterùm valet de illis, quæ sunt in nobis, secundum apprehensionem conceptæ vtilitatis, vel delectationis, non physicè, & actualiter; sæpè .n. fit electio mediorum, ad quæ debet finis, & executio sequi.

Electio non est impossibilium. *3. Ethic. c. 2. & 5.*

APprimè verum de electione in specie, vt videlicet sequitur conclusionem syllogismi practici, non de electione generica, quæ stat pro quouis actu voluntatis. Vlterius

riùs de electione ordinata, & congruenti, non absolutè, & liberè. Itèm de impossibilibus simpliciter, non, &c.

Elementa sunt maximè substantiæ. *3. Metaphys. T. 4. & 10.*

IN hoc sensu vult intelligi, quia .s. sint nobis magis nota, quemadmodùm de substãtijs compositis, & sensibilibus, asserit D. Thom. in Com. de Physico Auditu, quòd sint nobis notiores omnibus alijs, non autem secundum essentiam substãtiæ, vel perseitatem, ità ad vnguem sentit Arist. 7. *Metaph. T.* 8. Item quia principia aliarum sunt, vt in 1. *de Gener. cap. vltimo*, & 4. *de Cælo* per totum docet Aristoteles ipse, non secundum intensionem substantifici esse, quod non patitur magis, & minus *ex* 1. *Cathegoriarum Proprietate* 5.

D. Th. in Com. in de li. Phys. A.

Eligibilius est bonum ex circumstantia, quàm bonum necessarium. *3. Topic. cap. 2.*

HAbet sensum, quòd melius sit eligibile, vt magis proficuum, veluti benè viuere, quàm viuere, non autem simpliciter, & absolutè. Ampliùs valet in moralibus, & supposito iam actu primo, non in naturalibus. Item de circumstantia, non deprauante bonitatem obiecti, secùs minimè.

Ens eo modo se habet ad verum, ac ad bonum. 4. *Metaph. T. 2. & 6.*

VAlet de conuenientia, seù conuersione prædicationis, quia sicuti vnumquodque ens est bonum, ita & verum, non secundum ordinem causæ perficientis; siquidèm verum non habet rationem causæ perficientis, in ordine ad omnia

entia

entia, ficuti bonum, propter quòd induit rationem appetibilis *ex primo Ethicorum capite* 1.7. non fic autem verum. 2. *Phyf. T.* 31. *&* 2. *Metaph. T.* 8. *&* 9. & ratio à priori eft, quia perfectio veri attẽditur à ratione fpeciei folùm; ex quo fit, vt immaterialia tantùm poffint recipere rationem fpeciei abfq; materiali effe; bonum verò, & à ratione fpeciei, & à ratione generis, ac indiuidui, vndè poteft perficere tàm materialia, quàm immaterialia, & propter hoc omnia poffunt appetere bonum, at non cognofcere verum.

Ens, & verum cõuertuntur. *4. Metaph T. 2 & 6.*

CErtum eft de veritate tranfcendentali, metaphyfica vocata, quæ connotat conceptum intellectus, in quo res repręfentantur, non de morali, & logica; cùm enim verũ fequatur effentiam, & ratio obiectiua intellectus fit quidditas in actu exercito, vt habens adnexam veritatem ex monitu noftri Montecalui in Metaphyfica præclariffimi Libro de Primis, & fecundis Intentionibus cap. 34. propterea tranfcendentaliter idem effe verum, & ens opus eft, non quouis alio modo.

Vincentius Mõtecal. de 1. & 2. Intent. c. 44.

SKOLION. Logica veritas eft, quæ affectum negligit, & tantummodò fermonis, ac obiecti confenfum dicit; Moralis autem, & conuenientiam fermonis, & affectum fimul, vt clariùs infrà.

Ens, & vnum funt prima genera rerum. *3. Metaph. T. 10.*

VAlet de primis tranfcendentibus, non de primis prædicamentalium. Item, vt de primis analogiâ, non vniuocatione. Rursùs prima metaphyfica principia, & genera rerum, non phyfica, & concreta.

Ens

Ens non ponitur in definitione alicuius. *6. Topicor. cap. 3.*

VErificari poscit, tanquàm quidditas prædicabilium, non verò, quia non sit intrinsecum omni definibili: Pariter non ponitur in definitione, tanquàm vltimum definitiuum, & distinctiuum, benè autem, vt materiale definiti.

SKOLION. Aliud est in Metaphysica esse intrinsecum, & esse quidditatiuum, siquidèm omne quidditatiuum est intrinsecum, & non è conuersò, propter quòd substantia est intrinseca accidenti, at non quidditatiua illius, quo pacto vult Aristoteles in allegato textu verificari de ente respectu definibilium.

Ens non est vnius rationis. *3. Met. T. 2. & 3.*

REctè procedit de vna ratione vniuoca, non analoga. Amplius de vniuocatione logica, non metaphysica, siquidèm per Scotistas ens est vnius rationis vniuocæ.

SKOLION. Triplex est vniuocum secundum Scotistas super primum sétentiarum subtilis Doctor. s dist. 3. qu. 2. & 3. aliud logicum; aliud physicum; & tertium metaphysicum. Vniuocum logicum est, quod reperitur in rebus, gratiâ alicuius secundæ intentionis, vt inter genus, & species. Physicum est, quod datur naturæ communi multis rebus eodem modo, nullo intellectu cogitante, & tali vniuocatione volebat Scotus solam speciem specialissimam esse vniuocam. Metaphysicum deniquè, quod consistit in vno, & eodem conceptu abstrahibili à pluribus rebus, quo pacto dicebat ens vniuocum ad contenta sub ipso, quæ sunt finitum, infinitum, substantia, accidens, &c.

Ens

Ens enti superadditum nil noui superaddit. *4. Metaph. T. 2.*

CVrrit promptè Effatum de ente nominaliter, nàm idem est ens homo, ac homo, non participialiter, quoniam istud addit supra ens actum existentiæ, qui est vltimũ complementum cunctorum, quæ prius fuerunt possibilia. Item currit de ente sub mero conceptu transcendentali, non prædicamentali, & contracto.

Ens, quod est rationis non est scibile. *1. Poster. T. 5. & 9. Metaph. T. 21.*

VAlet de scientia, secundum quòd dicit veritatem rei, non veritatem propositionis, quæ à Thomistis cõmuniter dicitur veritas propriè dicta; ab Alijs autèm veritas obiectiua; est enim ens rationis aliquod reale realitate intellectus, non rei, ac proindè illa passio entis rationis, ista autem entis realis, ita eruditè explicat Montecaluus in citato libro de Primis, & secundis Intentionibus cap. 46. quinimmò ad litteram Arist. *6. Metaph. T. 4. &* 8. dùm inquit entia rationis non esse, nisi quia vera.

Montecal. de 1. & 2. Intent. cap. 46.

SKOLION. Veritas rei est veritas naturæ, quæ conuertitur cum ente, iuxtà Philos. 4. *Met. T. 2.* Veritas propositionis est, quæ mouet intellectum, veluti propriũ eius obiectum, & formale, sed infra cum Montecaluo lib. citato c. 6.

Entia per accidens nequeunt sciri. *1. Post. T. 7.*

PRocedit adæquatè de entibus per accidens secundum causam, quæ .s. non habent determinatam dependentiam

tiam, à qua fluant, vt sunt fortuita; & casualia, putà inuentio thesauri ex fossione terræ, non de illis, quæ sunt per attributionem, nàm certam habent causam vnionis in subiecto, vt homo risibilis; risibilitas namq; habet rationalitatē pro causa, vt sit in homine.

Entis à nō ente infinita est distātia. *1. de Ortu T. 16.*

IN aliquibus casibus syncerè approbatur, non in omnibus; vndè quando comparatur non ens ad esse Diuinum, est procul dubio infinita distantia, siquidèm maior istâ excogitari non potest, non quando comparatur infinita albedo ad infinitam nigredinem; & similiter quando comparatur non esse simpliciter ad esse creatum, quod finitum est; etenim habetur distantia infinita secnndum vnam partem, & finita secundum aliam, quæ fuit basis erroris putantium Creaturam propriâ virtute posse creare, quia licet, ex illo esse, quod est finitum, sit dare transitum; attamen non ex illo, quod est infinitum. Amplius approbatur de distantia negatiua, quæ scilicet non dicit talem, & tantam distantiam, quia iuxta Aristot. in citato 3. *Summâ* 3. *cap.* 2. quod non distat, distantiâ à nobis cognitâ, dicitur distare infinitè, non de formali, & obiectiua.

Eius est potentia, cuius est actus. *In Paruis naturalib. cap. de Somno, & Vigilia, & 9. Met. T. 2.*

SVmitur verum passiuè, non actiuè, hoc est ex parte subiecti, non formæ agentis, quæ ita agit, quòd non patitur. Amplius de illis, quæ à se ipsis aliquo modo ad actum reduci possunt, non de illis, quæ ab alio reducuntur, & propter hoc sonatiuum non habet in se actum soni, quia non à se ipso in

actum venit, sed ab alio; quocircà 2. *de Anima T*. 78. ab Aristotele definiebatur sonus, vt esset collisio duorum corporum solidorum, quæ, vt collidantur, accedere necesse est. Item de eodem identicè, non formaliter, vel secundum diuersam considerationem sumpto, nàm mobilitas dicit aptitudinem ad motum, quæ sanè in communi, conuenit corpori physico, sed actu moueri corpori singulari, vt supra litt. A.

Eiusdem est de quidditatibus rerum, & partibus earum agere. *8. Met. T. 8. & 9.*

INtelligitur entitatiuè, & in actu primo, ac signato, non concretè, & in actu exercito; quocircà Metaphysicus materiam, tanquàm partem quidditatis considerat, non verò, vt exercet operationes materiæ, putà, vel vt recipit formas, vel vt subijcitur trasmutationi, vel deniq; vt vnita priuationi appetit formas, qnod est proprium munus Physici, & non licet transire de genere in genus *ex* 1. *Post. T*. 23. Item quia partes quidditatis se habent, vt materia, & forma, respectu compositi, & eiusdem est considerare materiam, ac formam 2. *Phys. T*. 26.

Eiusdem non sunt, nisi quatuor quæsita. *2. Post. cap. 1. T. 1.*

VErùm vtiq; est formaliter, & secundum genus dubitationum, ac quæsibilium, non materialiter; quoniam liquidò constat de eadem re innumeras fieri quæstiones, & dubitationes, vt de materia prima, de Deo, de Intelligentijs, &c. sed tales reductiuè, & formaliter non sunt, nisi quattuor.

Eiusdem scientiæ est de communioribus, & minus communibus agere. *1. de Partib. Anim. cap. 1.*

MAximè certum est de communibus, & minus communibus subordinatis, non de disparatis, & diuersis. Cæterùm de illis magis, & minus communibus, quæ sunt enunciabilia de eodem subiecto, non de alijs, indirectè scilicet enunciabilibus.

Eius, quod augetur quælibet pars augetur. *1. de Ortu T. 35.*

PRobè subsistit de partibus distributiuè sumptis, non collectiuè; sic Cœlum mutat secundum omnes partes locum, & tamen semper est in eodem loco secundum totum; mutat enim distributiuè, non collectiuè. Amplius vniformiter difformiter, non vniformiter tantùm.

SKOLION. Vniformiter augeri est, non tantùm penès omnes partes simul augeri, at æqualiter, itàut non plus vna, quàm altera, sed affatìm omnes, ex æquo, cuiuslibet sint tēperiei restaurentur, & augeantur. Vniformiter autèm difformiter est secundum proportionem earum crescere, ex vi assumpti alimenti, & factæ concoctionis, itàut ex alimento, e.g. à prædominio sanguineo prius, & principaliter sanguineæ, postmodùm per gradus aliæ augeantur, quòd quotidiè, & ex quolibet chylo fieri potest, non vniformiter tantùm.

Eodem agente, & eadē materia manente fit idem numero effectus. *8 Metaph. T. 12.*

PRæcisè, his solis, non intelligitur; cùm enim agens naturale agat per motum, & idem motus diuersis tempo-

ribus fieri nequeat, nec etiam idem effectus numero per vires naturæ; sed Aristotelis mens est, quòd eadem existente materia contingit diuersa fieri, propter mouentem causam, scilicet quia, vel est alia, & alia causa mouens, vel quia est eadem habens se ad operandum diuersa diuerso modo; vide supra lit. A.

Eo modo res scitur, quo est. *1. Periher. cap. 1. & 6.*

VAlet de cognitione naturali, & aptitudinali, non actuali, & artificiosa. Item de esse essentiæ, non existentiæ, cum scientia abstrahat ab hac existentia, secùs Mathematica, & Metaphysica scientiæ nõ essent, quòd obscœnum est dictu, vide supra lit. B. & C.

Eò plus est vnius contrarij in materia, quò minus est alterius. *2. Cœli T. 37.*

Auerr. in Com. DE Elementis verificatur secũdum expositionem Auerrois, & de simplicibus, non de mistis; elementa enim secundum sensum contraria sunt, dicit Aristot. *2. de Cœlo T. 19. ac 2. de Ortu T. 24.* Item cæteris paribus, minimè si imparia sint, & materia diuersimodè se habeat.

Eorum, quæ non eueniunt semper, aut frequenter non potest dari scientia. *6. Met. T. 6.*

HAud falsò intelligitur de illis, quæ habent causas, & naturaliter, & frequenter impedibiles, non de illis, quæ causas habent determinatas, & non impedibiles naturaliter, vt e.g. Lunam futuro anno eclypsari. Item de scientia propriè dicta, quæ effectus est demonstrationis *ex 1. Post. T. 6. & 8.* non de quauis vera cognitione. Eorum,

Eorum, quæ fiunt aliqua boni gratiâ fiunt, aliqua non. *2. Phys. T. 31. 49. & 91.*

VAlet de illis, quæ fiunt, non propter finem deliberatum, sed propter consuetudinem, vt e.g. confricatio barbæ, & reliqua similia ex sola imaginatione mouente, nō de alijs: quarè omnia possunt esse propter finem, quæ fiunt iuxta textum allatum, sed vel imaginatum, vel deliberatum, non deliberatum tantùm. Item in specie, non in numero.

Esse est propter operari. *1. Cæli T. 17.*

CErtitudini iungitur in absolutis, & perfectis, non in relatiuis, & imperfectis entibus, quale est materia prima, etenim relationes non sunt operatiuæ. Item valet de esse existentiæ, non essentiæ tantùm, quod dicitur à Metaphysicis nominale. Amplius in genere Naturæ, non in genere moris, quia quandoque experimur similitudinem apud homines multum operari, sed est secundùm moralem, & humanam æstimationem, non secundum esse; vide infrà literâ N. & V.

Essentiæ rerum æternæ sunt. *4. Met. T. 3.*

DE ideali, & obiectiuo esse, quod habent omnes res in intellectu Diuino accipitur hoc Effatum, non de esse actualis existentiæ. Cæterùm negatiuè, non positiuè; & est sensus, quòd rerum essentiæ non sunt addictæ certo tempori, sed præscindunt, ad differentiam existentiarum, quæ loco, & tempori coniunguntur.

SKOLION. Esse negatiuè, in hoc casu, importat nullam

sibi

ſibi adſciſcere determinatam temporis differentiam, putà præteriti, vel futuri, iuuentutis, vel ſenectutis, &c. Poſitiuè verò (excepto Diuino intellectu, in quo ſunt iſtæ eſſentiæ, vt res intellectæ) importat poſitionem, & exiſtētiam extra cauſas naturales, ſub menſura æui, vel temporis; quibus omnibus mēſuris coexiſtunt eſſentiæ, vt à Deo intellectæ, ſed cum exiſtentijs non deficiunt, & proindè æternæ dicuntur; quò ſpectat etiam aliud ſubſequens Ariſtotelis dictum, eſſentias ſcilicet cauſas non habere, quod intelligitur præcisè, vt eſſentiæ ſunt, & nominaliter, non, vt copulatæ cum exiſtentia.

Eſſe ſequitur formam rei. *2. Phyſ. T. 11.*

Rectè vſurpatur, ſuppoſito Dei influxu, quemadmodùm lumen ſequitur diaphanum aeris, ſuppoſito influxu Solis, at minimè, ſi illud non ſupponatur; quocircà potentia ad non eſſe in ſpiritualibus Creaturis, & in corporibus Cœleſtibus magis eſt à Deo, qui poteſt ſubtrahere ſuum influxum, quàm ſit in forma, vel in materia talium Creaturarū; imò ſuperaddunt Theologi, vt eſt videre apud S. Thom. in 1. parte qu. 104. art. 1. quod neq; Deus poteſt communicare alicui Creaturæ, vt conſeruetur in eſſe, ſuâ actione ceſſante, ſicuti neq; communicare poteſt eidem, vt ſit ſibi cauſa.

D. Th. 1. par. q. 104. ar. 1.

Ex duobus in actu non fit vnum per ſe. *7. Metaph. T. 49. & 8. eiuſdem T. 15.*

Vult intelligi in vnitate naturæ, & eſſentiæ, non in vnitate ſubſiſtentiæ, quo pacto, ſecundū Theologos, Verbum Diuinum vnitum eſt naturæ humanæ: Inſuper de illis, remanentibus in puro eſſe actus, & in eſſe perfecto, non admixtâ, aut ſuperadditâ aliâ potentiâ, ſiuè in eſſe remiſſo, ſecùs

cùs extremi non possent constituere mediũ, quòd falsum est.

Ex ijsdem nutrimur, ex quibus constamùs. *2. de Ortu T. 50.*

EX ijsdem genericè, non numericè intelligitur Effatum, siquidèm constamus ex substantia mixta, & ex eadem mixta nutrimur. Insuper ex temperie primarum qualitatũ, & pariter ex alimento similis temperiei nutrimur. Itèm de ijsdem æquiualenter, & in vltima cibi metapsyncosi, hoc est transmutatione, non quandocunque, & indistincto modo.

Ex indefinita reduplicatiua infertur vniuersalis. *8. Topic. cap. 1. & 1. Elench. cap. 4.*

IN vniuocis suam retinet veritatem, non in æquiuocis, & analogis; vndè verè dicitur animal, quatenùs est sensitiuum, est; ergo omne animal est sensitiuum, non sic autèm, si dicatur subsistentia, vt subsistentia, dicit imperfectionem, quia priuationẽ; ergo omnis subsistentia dicit imperfectionẽ, & è contrà, quandoquidèm subsistentia Diuina est sũmè perfecta, & quia Diuina, norma etiã aliarum perfectionũ; at causa est, quia subsistentia non dicitur vniuocè de creatis, & increatis, sed, vel analogicè, vel æquiuocè.

Ex intelligibilibus elementis nulla fit magnitudo. *4. Phys. T. 10.*

VAlet ex istis actu, & potentia talibus, non actu tantùm; constat enim materiam, & formam esse talia elementa secundum Peripateticos, & tamen componunt physicum corpus, sicuti plures vnitates ipsum numerum: Itèm quæ sint in-

indiuisibilia, vt *quo*, & *quod*, non *quod* tantùm, vt infrà.

Ex intellectu, & intelligibili fit magis vnũ, quàm ex materia, & forma. *12. Metaph. T. 39.*

VAlet, quatenùs intellectus ad intra fit ipsum intelligibile, & materia nunquàm fit forma, neq; forma materia; non quia verius fiat vnum, per se ex identitate essentiali. Cæterùm fit magis vnum per diuturniorem connexionem, quoniam forma, vt plurimùm, vnitur materiæ ad tempus, at intelligibile potest sẽper cum intellectu manere; quę ratio fuit, vt in de substantia orbis Auerroes dixerit ex Intelligentia, & Orbe verius fieri vnum, quàm ex materia, & forma, eò quòd Intelligentia vnitur Cœlo nexu indissolubili, & per modum intelligibilis, non per identitatem substantialem.

Auerr. de Sub. orb.

Ex potentia, & actu fit vnum per se. *2. de Anima T. 10. & 8. Met. T. 15.*

AFfabrè verum de actu substantiali, non de accidentali: Insuper de actu primo, & completo, non de alijs. Prætereà de potentia subiectiua, aut simili ei in quocunque genere, non de obiectiua, neq; actiua, vt supra. Rursùs vnum per se, vt totum, non autèm sub quauis ratione vnius per se, vt simplicis.

Expectanda est hominis fælicitas post mortem. *1. Ethicor. cap. 10.*

VAlet, ficuti Solon Cræso dixerat terminatiuè, non priuatiuè, nimirùm quia terminus humanæ felicitatis in hac vita non attingitur, licet incohetur propter media, quæ

sunt

ſunt Virtutes, vt ibi diffusè habetur. Inſuper, ne quis diceret inductiuè ſolum mortuum fęlicem eſſe, propterea ait expectandā eſſe, quia fęnere Virtutum actus exercitus, & conſumata fęlicitas poſt mortem habetur; in vita autèm præſenti ſolùm inchoamentum.

Ex materia, & forma non eſt quærenda ratio cur fiat vnum per ſe. *2. de Anima T. 7.*

INtelligitur de cauſa exigitiua, quia vnum eſt potentia, ſcilicet materia, & alterum actus, ſcilicet forma; arguit enim Ariſtoteles in tali loco cōtra eos, qui volebant vnionem materiæ cum forma eſſe quoddam gluten, & tanquàm ceram, vel picem vnum alteri connectere, non ſimpliciter. Itèm dubitatiuè, & hæſitando de determinatione Naturæ, aut de medio, cum omnis quæſtio ſit medij quæſtio *ex 2. Poſt. T. 3.* non alio modo.

Ex nihilo nihil fit. *1 Phyſ. T. 34.*

VAldè tritum eſt, tanquàm ex ſubiecto, non tanquàm ex termino à quo. Amplius verum per ſe, & ſimpliciter, non per accidens, & ſecundum quid. Prætereà verum per naturalem virtutem, ac per mutationem phyſicam, non per ſupernaturalem, & ineffabilem emanationem, quæ creatio nuncupatur. Itèm ſecundum Alios ex nihilo, tàm actu, quàm potentia, minimè ex nihilo actu, ſed aliquo potentiâ, in quo maximè relucet neceſſitas materiæ primæ. Deniquè verum ex parte agentium naturalium particularium virtutem finitam habentium, non ſupernaturalis Agentis, quod virtutem poſſidet infinitam.

Experimenti parùm habent Bruta. *1. Metaph. cap. 1. T. 1.*

MInimè falſum de experimento formali, benè autèm de materiali, ad quod requiruntur ſpecies memoratæ, & frequentati actus, qui æquè benè, intra ſphæram ſenſus, poſſunt Brutis conuenire, ac hominibus. Item parum ſecundum extenſionem, quoniam Bruta, ſolummodò habent, quod parat illis cognitio ſenſitiua, ſed homines experimentum habent, & per ſenſitiuam, & per intellectiuam cognitionem, non intenſiuè ex parte eorum, quæ ab illis apprehenduntur.

Ex quolibet nõ fit quodlibet. *1. Phyſ. T. 44.*

IN confeſsò eſt naturaliter, propter ineptitudinem ſubiecti, non ſupernaturaliter. Inſuper immediatè, & proximè, non mediatè, & remotè. Item per actionem phyſicam, quæ motu celebratur, & conficitur, non per ſimplicem emanationem, quæ nutu primi, & increati Agentis exercetur.

SKOLION. Terminus *immediatè* dicit ſummam propinquitatem, & ideò carentiam medij, ac propter hoc naturalem connexionem cum illo, cui dicitur immediatum. Terminus poſteà *mediatè* dicit interpoſitionem alterius, & communicationem ad patiens per medium, vt dum ignis calefacit nos, & aerem inter ipſum, & nos exiſtentem.

Extrema ſunt actu in medio. *1. Phyſ. T. 56.*

VIrtualiter poſtulat intelligi, non formaliter. Inſuper de medio per participationem, vt eſt tepor reſpectu caloris, & frigoris, non per abnegationem. Prætereà non de

de extremis quomodocunque, sed remissis; patet enim in tepore non esse frigus, quod congelat, neq; calor, qui vrit.

SKOLION. Multas patitur acceptiones hoc medium, quod ad eius sermonem nos euocat. Vel enim est imaginationis, & est secundum Bassolium Scotistam, quod plus distat ab extremis, quàm extrema à se inuicem, vt operatio media inter obiectum, & potentiam; cum enim, secundum Scotistas, potentiæ animæ sint idem realiter cum animæ substantia, & proindè cùm obiectum, & potentia sint in eodem genere substantiæ, & operatio in genere accidentis, plusquè distet accidens à substantia, quàm vna substantia ab alia, proptereà operatio dicta est medium plus distans ab extremis, quàm extrema à se inuicem. Aliud est in essendo, & est, quod secundum esse absolutum mediat inter duo, soletq; dici participationis, quia de vtroq; extremo participat, & dicitur tepor talis, quia de frigido, & calido participat; Aliud in causando, quòd scilicet mediat inter causam, & effectum, vt homo generans dicitur medius inter Solem, & hominem generatum: Item in prædicando aliud, quod etiam per comparationem vocari solet, vt species subalterna respectu generis generalissimi, & specialissimi; Aliud congruentiæ, vt pulchritudo medium dicitur decentis matrimonij: Necessitatis aliud, & est, sine quo coniunctio extremorum esse non potest, quo pacto lumen coniungitur aeri, mediâ diaphaneitate; Interpositionis etiam, quo modò clauus vniens duas tabulas simul dicitur medium illarum, & secundum D. Bonauenturam annuli catenarum; Præsuppositionis alterum quo pacto quantitas mediat inter formam substantialem, & materiam, siquidèm hæc forma postulat materiam quantam, vt infrà; Suppositi aliud, & est, quod mediat inter agens, & patiens, veluti aer inter ignem, & manum; Virtutis etiam alterum, siuè *quo*, vt calor inter ignem, & dictum aerem calefactum;

Bassolius Scotista.

D. Bonauent.

Vndecimum in *quod*, & est forma prius acquisita, vt e.g. embrionis forma media est, respectu formæ animalis; Duodecimum *per quod*, & est ipse motus, ac tempus, per quod acquiritur forma; Intellectionis rursùs, vt species impressa; Repræsentabilitatis decimum quartum, vt speculum; Instrumentale decimum quintum, vt calor natiuus ad operationes animæ vegetalis, & sentientis; Deniq; per abnegationem, quod negat se esse vtrumq; extremum, licet sit via in vtrumquè, vt Lauretum respectu Romæ, & Bononiæ; non enim Lauretum Roma est, vel pars Romæ, neq; Bononia, aut pars Bononiæ, cum tamen via media sit, quà versùs Orientem progrediendo, itur Romam, & versùs Occidentem, Bononiam.

Castan. lib. Dist. lit. M.

F

Facere sibi simile est actus perfecti. *2. de Anima T. 34. & 2. de Gener. Animalium cap. 1.*

IN compertò est de perfectione naturali, & respectu speciei, quam redolet ille, qui agit, non de perfectione morali, & indiuidua, siquidèm gibbosus homo alium in specie sibi similem generare potest, & non defectuosum. Item arguitiuè, & respectu propriæ naturæ, non essentialiter, & quocunque modo.

Falsitas non est in sensu. *6. Met. T. 8.*

ANcillatur veritati, vt in cognoscente ipsum, aut suum relatiuum, tanquàm obiectum, non alio modo. Cæterùm per se, non per accidens; iudicat enim sæpè sensus aliter, ac sit res ipsa sensibilis, quod est æquiualens falsum.

Fœli-

Fœlicitas cum voluptate coniuncta est. 10. *Ethic. cap.* 1. & 3.

CLarum est de voluptate rationali, non sensibili: Insuper non tanquàm partis essentialis, & constitutiuæ fœlicitatis, sed concomitantis; propter quòd dicebat optimè Philosophus in exordio citati libri, quòd homo non debet ommittere Virtutis actiones, estò essent absque voluptate, & delectatione.

Fœlicitas hominis est noscere substantias separatas. 10. *Ethicor. cap.* 7.

DIuisìm intelligitur hoc Effatum, vel scilicet in hoc statu, vel in alio, vt tactum est supra literâ E. non in vno tantùm; hinc est, quòd pro hoc statu, quid est earum non comprehendit, sed solùm quia, in quo etiam parùm delectatur. Cæterùm valet dispositiuè, vt scilicet se disponat ad eas quidditatiuè noscendas, non actualiter.

Fœlicitas hominis bona externa requirit. 1. *Ethicor. cap.* 8.

SVbsistit de fœlicitate politici, qui in Republica rem agit; bona etenim externa ad defendẽdam Rempublicã, & ad propulsandas iniurias requirit, nõ de fœlicitate simpliciter, siuè speculatiua, quam definiuit Arist. 1. *citato cap.* 7. operatio est animæ, per rationem, secundum virtutem in via perfecta. *Conib. 1. Ethic. disp. 4 art. 4.*

Fœlicitas, non in vno actu solummodò consistit. 1. *Ethic. cap.* 9.

VAldè tritum, & verum est de actu discreto, non continuo, siquidèm actus debet connotare habitum, bonus scilicet bonum, & malus malum; vndè vnus tantùm habitum Virtutis, qui ex frequentatis ellici debet, connotare, & constituere non potest. Accedit, quòd fęlicitas quandam boni possessionem dicit, & ista, non in vno est actu, nisi continuus sit, & pluribus æquiualens.

Fœlix in somno nullus est. 1. *Magnorum Moralium cap.* 4.

IN hoc sensu intelligitur verum, quia ex actione, eò tunc ei non datur viuere, at ex sola existentia; in operatione autèm fęlicitas consistit *ex* 1. *Ethic. cap.* 1. imò in operatione rationali, & contemplatiua; vt supra, propterquòd Arist. 1. *citato cap.* 9. dicebat Bruta fęlicia non esse, quia de virtuosa operatione non participant.

Finis causa non est, si opponitur principio. 1. *Metaph. Summa* 2. *cap.* 1.

VAldè certum, vt opponitur principio efficienti, siquidèm efficiens principium est motus, & finis terminus eius, sed non respectu aliarum causarum. Cęterùm finis causa est, & principium in præmouendo, nō in exequendo, quoniam vltimum, quà ratione est vltimum, opponitur principio executionis, & finis vltimi rationem habet.

Finis effectus est efficientis. *2. Phys. T. 89.*

EXpedit quantùm ad esse, non quantùm ad causalitatis rationem; vndè licet finis posterior sit efficiente, quantùm ad esse, est tamen prior illo secundum rationem. Item quantùm ad assecutionem, & rem assecutam, nõ quantum ad motionem, qui fines ab Henrico Castaneo dicuntur alio nomine operationis, & rei operatæ; finis enim operis præit, & efficiens mouet, quatenùs scilicet intentus, & appetitus, deinceps sequitur, qui est rei operatæ, & genitæ. *Castan. lit. F. nu. 73.*

Finis importat, vt sit appetitus. *1. Ethic. cap. 1.*

TRitum est in ijs, qui nondùm finem attigerunt, secùs falsum. Vlterius verum, ratione sui fundamenti, quod est bonum, nàm primo citato dicitur ab Aristotele bonum esse, quod omnes appetunt, licet ratio boni, & ratio finis distinguantur, non præcisè, & formaliter, vt infrà.

Finis nobilior est ijs, quæ sunt ad finem. *2. Physic. T. 31. & 5. Met. T. 3.*

DE nobilitate in genere, & secundum quid verificatur Effatum, non de nobilitate simpliciter, quæ ab entitate, ac natura rei attēditur, & non à simplici motione aliorum: Item de fine cuius gratia, qui appetibilis est primò, non de *fine quo*, aut *cui*, qui duo primariò non appetuntur. Cæterùm de fine principali, & primò intento, qui, ita est finis, quòd non medium, non de secundario; vndè Intelligentiæ Cœlos mouentes propter hæc inferiora, non primariò, sed secundariò illa respiciunt, alioquin inferiora hæc nostra illis nobiliora esse oporteret.

SKO-

SKOLION. Dogma est Aristot. 2. *Phys. T.* 23. & 78. finem, vel esse *cuius gratiâ*, hoc est intuitu, & motiuo cuius aliquid fit, vt nutritio propter vitam, vel *cui*, qui etiam ab Alijs inquem dici solet. Primus est propter quem consequendum, vt maximè appetitum, aliquid aliud, tanquàm medium assumitur, vt dictum est propter conseruationem vitæ cibos, & propter sanitatem medicamina. Secundus est, in cuius gratiam extrinsecè, & secundariò aliquid fit, & vltrò non ordinatur, & in hoc sensu rectè dicebat Philosophus nos homines esse fines omnium artium, quia scilicet in commodum hominum omnes inuentæ sunt; vndè finis cui est ad quem secundariò, & extrinsecè appetitum, ipse primarius finis ordinatur. Pariter 1. *Ethic. cap.* 1. dicit finium quosdam esse operationes, quosdam verò res operatas. Finis, qui est operatio, est post quem executiuè nil sequitur in Natura, si operatio est Naturæ, vel in arte, si operatio est ab Artifice, vt scriptura. Finis, qui est res operata, est ipsum opus, quod ex actione consurgit, & in quod, tanquàm in scopum, actio ipsa tendit, vt in ædificatiua domus; in frænefactiua frænum, illa ad habitandum, hoc ad regendum Equum.

Finis prima causarum est. 2. *Phys. T.* 78.

IN concussum, & certum est de fine, ratione intentionis, & in præmouendo, non in exequendo; quoniam sic vltima causa est, & non prima, siquidèm habito fine cessant omnia. Amplius certum de fine cuius gratia, bonitas cuius allicit, & mouet Agens, non de fine *quo*, quo .s. medio aliud est consequendum, & dicitur à Capreolo finis formalis, & ab Herueo assecutionis, quia est, quo assequimur aliquid; procul dubio principalius intentum, vt supra dictum est de motu, & de actione, quà aliquid obtinetur.

Capreol. *Herue.*

Finiti

Finiti ad infinitũ nulla est proportio. *1. Cæli T. 52.*

DIrectè valet de Arithmetica proportione, quæ in natura vniuoca, & specifica cadit, non de Geometrica, quæ in analogo consistit, vt est proportio causæ ad effectũ, creaturæ ad creatorem. Item quà ratione est finitum, & in quo genere terminos habet, non aliâ ratione; continuum nanquè finitum est ex se, & nihilominùs diuisibile ad in infinitum: Sic peccatum infinitæ malitiæ in genere moris, non in genere naturæ.

Finitum est, cui potest fieri additio, & infinitum non. *1. Cæli T. 12. & 3. Phys. T. 57.*

STabilem possidet veritatem in ijs, quæ non coniungunt finem principio, & quorum medium cētri naturam non habet, vt liquet de figura circulari, non in alijs. Prætereà de infinito simpliciter, non secundum quid.

SKOLION. Per infinitum simpliciter illud vulgariter intelligitur, quod neq; ex parte ante, neq; ex parte post principium, vel terminum aliquem habet, quod ab Ægyptijs Encyclopediâ, aut circulò figurabatur, vt e.g. ipse Deus, æternitate in participata æternus. Infinitum secundum quid est, quod, vel ex parte anteriori, vel posteriori terminum aliquem concludit, & sic animæ hominum infinitæ dicuntur, quia principium habuerunt, licet finem non sint habituræ: Huic igitur additio fieri potest, non illi.

Finitum, & infinitum sunt differentiæ quantitatis. *1. Phys. T. 15.*

DE syncathegorematico, à nobis cognito infinito, verificatur Effatum, non de actuali, & cathegorematico. Cæterùm de differentijs quantitatis logicæ, non physicæ, siquidèm non est dabile cōcretum participans talem differentiam, quæ infinita permanens dicatur. Vlterius valet de infinito priuatiuè, non negatiuè, nàm sic Deus infinitus est, & nec conuenit quantitati, nec participat differentiam eius.

Finitum finito expletur. *1. Phys. T. 31. & 36.*

PRo certo est subiectiuè, non obiectiuè, in quo sensu asserunt Theologi sub primò sententiarum distinctione prima capacitatem animæ rationalis obiectiuam esse infinitam, quoniam ordinatur ad obiectum infinitum; capacitatem autèm subiectiuam esse finitam, propter quòd omne, quod recipitur in anima, vt in suo subiecto, finitum esse necesse est. Vlteriùs verum, & certum de finito physico, quod diuisibile est per partes determinatè quantas, & æquales, non proportionales, & solet dici diuisibile diuisione mathematica.

Flamma maior minorem absumit. *In de Longitudine, & Breuitata vitæ cap. 2.*

PEr accidens hoc intelligitur, non per se; vt enim similis in specie, neq; per se illi contrariari, neq; destruere illam queit; per accidens autèm id molitur, quia alimentum, quod ipsa flamma minor in multo tempore consumit, maior citò, & vehementissimè vorat, ad se trahendo pabulum mi-

noris,

noris, vt nutriatur, ita Antonius Roccus in suis Paraphrasibus librorum de anima, nec non, & in de Sensu, & sensibili capite de longitudine, & breuitate vitæ.

Anton. Roccus in de Sẽsu, & sensibili.

Forma educitur de potentia materiæ. *1. Phys. T. 78. & 3. eiusd. T. 20. ac 1. de Ortu T. 11.*

PEr naturalem sequellam, & iuxta ordinem naturæ creatæ intelligitur, non per supernaturalem virtutem: Insuper tali modo, vt actu fiat, quod erat in potẽtia materiæ, non alio modo, & propter hoc, cùm anima rationalis non fuerit in potentia materiæ, ipsa non educitur, nec remanet corruptibilis, sicuti aliæ formæ, dicente Arist. *in 1. de sensu, & sensili.* Item non à se ipsa, sed ab agente naturali.

Forma est finis compositi. *2. de Anima T. 36. & 5. Met. T. 22.*

VAlet de fine *Quo*, quia compositum, mediante formâ, fit, vt infra, & id, quod introducitur in materiam ab agente pariter forma est, non de fine, cuius gratia, & vltimato, quod planè est ipsum compositum, propter quòd ipse Arist. eodem *lib. 2. T.* 34. dicebat, omne agens producere sibi simile, quod agens (cùm compositum sit, & singulare, ex 1. *Metaph. cap.* 1.) facit, vt etiam productum sit compositum, & singulare 1. *Phys. T.* 64.

Forma est subiectũ vniuersalitatis. *1. Cœli T. 92.*

PErbellè incedit de forma communi, & materiali, non immateriali, qualis est anima nostra. Item de subiecto denominationis, seù (secundum Alios) proportionali, non

inhæsionis, quale est compositum substantiale respectu accidentium. Cæterùm de forma informante, non de Assistente. Tandèm de abstracta, & logicè sumpta, non de concreta, & indiuidua.

Forma est principium, & causa motus. *3. Physic. T. 17.*

SVmitur verum, pro quanto omne, quod agit, agit, vt in actu, & per actum, qui est forma, non alio modo; hinc aqua calida in potentia non agit, neq; producit calorem, benè autèm, si sit actu calida. Insuper verum de principio proximo motus, non de remoto, & primo primò, quod autumauit Aristoteles Deum esse.

Forma est prior materiâ. *2. de Generat. Animalium cap. 1.*

DE prioritate perfectionis procul dubio certissimum, nàm ipsa forma est actus, & materia potentia, actus autèm perfectior est potentiâ *9. Met. T. 19.* non de prioritate originis, & ordinis. Vlterius certissimum de prioritate intentionis, quoniam agens principalius, & primò intendit formam, gratiâ cuius fit similitudo cum effectu, & non materiam *ex 2. Phys. T. 12.*

Forma finis est materiæ. *5. Metaph. T. 22. & 2. Phys. T. 25.*

VEro prodest, subsistitquè de forma substantiali, vt e. g. forma hominis finis corporis humani, sic organizati, & dispositi est, non de accidentali. Amplius, quia bonum eius est,

est, & finis, ac bonum conuertuntur 1. *Ethic. cap.* 7. non quia materia sit, vel medium, vel principium eius, relatione quorum dicatur postea ipsa forma finis materiæ.

Forma limitatur per materiam. *1. Phys. T. 69.*

HAbet sensum de limitatione indiuidua, non specifica, quandoquidèm similis formæ limitatio fit per differentiam, quæ addita generi contrahit ad speciem ipsum, & talis reperitur in substantijs spiritualibus, & abstractis; prima autèm in corporalibus. Item ad certas operationes, non absolutè, & simpliciter.

Forma nobilior est materiâ. *1. Phys. T. 81. & 9. Met. T. 13. 19. &c.*

NObilitate simpliciter dicta verum est, non nobilitate secundum quid; æterna enim materia dicitur 1. *Phys. T.* 82. & corruptibilis est forma. Item in entitate, & causalitate, non in modo producendi; creatur enim tantummodò materia, & ideò à solo agente infinito ponitur in esse, generatur autèm forma, & ab agente finito producitur, ac corrumpitur. *Didac. Masius 1. Phys.*

Forma, quæ denominat debet inhærere subiecto denominato. *13. Met. cap. 1.*

HAud falsum est in denominationibus, quæ petuntur ab intrinseco, vt albi ab albedine, benè autèm in illis, quæ ab extrinseco veniunt, vt est denominatio locati à loco; qui porrò locus, non locato, sed corpori ambienti inhærere habet, tanquàm suum vltimum, & sua superficies: Insuper verum de subiecto immediato, & principali, non de alio.

For-

Formæ rerum ſunt ſicut numeri. *8. Met. T. 10.*

IN recto de formis ſeparatis à materia intelligitur, nàm tali loco contra Platonem de Ideis diſſerebat, non de concretis, & materialibus. Item verum de formis ſubſtantialibus, quarum propria eſt definitio, & ſpecies, non de accidentalibus omnibus. Amplius intelligitur, quatenùs omnes formæ ſubſtantiales ſunt ſine latitudine graduum penès differentias eſſentiales, quæ ſpeciem conſtituunt, non quantùm ad gradus poſſibiles inueniri in diuerſis indiuiduis eiuſdem ſpeciei. Item ratione quidditatis, & ſpeciei, quæ variatur, eo modo, quo variantur numeri, qui ſanè per ſolam vnitatem indiuiſibilem ſuperadditam fiunt alterius ſpeciei, & à forma hoc pendet, non ratione collectionis plurium materialiter diſtinctorum.

Forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt. *12. Metaph. T. 15.*

SVbſiſtit de ea, quæ eſt actus tantùm, non de ea, quæ eſt actus, & potentia, vt eſt omnis forma creata, & ratio à priori videtur eſſe, quia omne ſubiectum comparatur ad id, quod eſt ſubiectum, vt potentia ad actum, & propter hoc, quia Diuina eſſentia eſt actus tãtùm, nunquàm ſubiecti rationem habet, dicente Diuo Thoma in de Spiritualibus Creaturis art. 1. ad 1.

D. Tho. in de Spir. Cr. art. 1.

Fortuna eſt ſine ratione. *2. Phyſ. T. 55.*

SVbſiſtit in ordine ad effectum, cuius dicitur fortuna, ſiuè cauſa fortuita; eſt enim hic contingens, & præter intentionem Agentium, & de ſimilibus non poſſumus ratiocinari,

vt de alijs, non respectu effectus intenti, cui effectus fortuitus adiungitur, & propter hoc in *citato libro T.* 52. dicebat Fortunam esse in ijs, quæ secundum propositum fiunt, quòd sanè propositum non est sine ratione. Item defectu consultationis, quoniam circa fortuita non est consultatio 2. *Ethic. cap.* 3. non subiecti; spectat namq; præcisè ad rationalia, imò & perfectum vsum rationis habentia, & Casus ad irrationalia.

Fortuna est eorum, quæ neq; semper, neq; frequenter fiunt. *2. Phys. T. 48.*

PRobè intelligitur respectu particularium diuisim sumptorum, non in generali respectu omnium, quoniam si e. g. serò ego fortuitos euentus non sentio, sentire, & probare possunt Alij in alijs Regionibus, vndè credibile est semper haberi Fortunæ effectus, at nō semper ab eodē experiri. Item quia effectus fortuiti non habent determinatas causas semper, & vno modo agentes, benè tamen hoc, & illo, cum semper adsint, pro particularibus impedimentis, determinatæ causæ impedientes.

Frigiditas non ingreditur opus naturæ. *2. de Partibus Animalium cap. 7.*

PRocedit verùm respectu compositorum, non simpliciū; hinc *T.* 31. 7. *Libri Metaph.* ait Philosophus Mulum non generare, fortè quia frigidus: item per se, & immediatè, quia per se non operatur ad formam, non per accidens: Cæterùm comparatiuè, non absolutè, quoniam à frigido multa causantur metheora, quæ ipsum Orbem exornant, & consequenter naturæ deseruiunt.

SKOLION. Dicitur frigiditas per accidens ingredi opus

Na-

Naturæ, & non per se, quia videtur facta ad contemperandum calorem, qui est causa per se inducens formam, vt habemus in Aristot. *libro de vita, & morte sub Paruis naturalibus*, quod autèm istud molitur (cùm gratiâ alterius videatur esse) per accidens dicitur; vndè est, quòd *textu vltimo* 2. *de Ortu* Aristot. dicebat æstatem generationis causam esse; hyemem verò corruptionis.

Frustra est illa potentia, quæ non reducitur in actū. *1. Cæli T. 32.*

AD vnguem procedit de potentia physica, non de logica, cuius non est aliquod agens, quàm Deus ipse: Insuper exclusis omnibus impedimentis, non concurrente aliquo. Rursus quando principaliter ordinatur ad actum, ad quem dicitur esse in potentia, non quando principaliter non ordinatur, vt sunt partes Cœli ad diuisionem. Cæterùm si actus sit essentialis, & perficere possit potentiam, non si accidentalis, & impotens eam perficere. Tandem de potentia in indiuiduo, non in specie.

SKOLION. Duplex est modus frustrandi aliquam potentiam, alter in specie, & alter in indiuiduo, vt mox dictum est: In specie non frustratur potentia per se, & per vires naturalium agentium, quia tolleretur propria natura in ea, & non esset amplius verum Naturam in communi agere propter finem, contra Philosoph. 2. *Phys. T.* 78. in indiuiduo autèm benè frustratur ex impedimento particulari; vndè rectè Aristoteles *in de somno, & vigilia* ait multa benè consulta, quæ expediebat fieri, dissoluta esse propter digniores alias inchoationes.

Fun-

Fundamentum ſimilitudinis inter duo vnitas eſt. 5. *Metaph. T. 20.*

PRocliue eſt ad veritatem, quatenùs amborum ſimilium debet eſſe eadem qualitas, & quãtitas; in ipſis quidèm extremis actualiter multiplicata, ſed potentialiter, & fundamentaliter vna, licet per intellectum ſolùm formaliter talis, vt infrà. Præterea verum de vnitate conformitatis, quæ ſanè conformitas in pluribus eſt, ſed in vno, tanquàm in ſubiecto, & in pluribus, tanquàm in terminis.

Futurorum contingentium non eſt determinata veritas, aut falſitas. 1. *Periher. cap. 7.*

REſpectu intellectus creati, & in via exponitur, & interpretatur hoc Effatum, non reſpectu intellectus Diuini, & increati, cui, nec aliqnid contingit, nec vt futurum aduenit, ſed cùm omnia ei coexiſtant omnia obiectiuè, & intuitiuè præſentia habet, cognoſcitq; illo modo (inquit Matthæus Aquarius in 12. Metaph. Dilucidatione 5. ſup. T. 51.) quo viſus meus non fallitur, dùm actu videt Sortem ſcribere, eſtò eidem Sorti ſit quoddam contingens ipſum ſcribere. *Aquar. Diluc. 5. 12. Metaph.*

G

Generatio eſt de non eſſe ad eſſe mutatio. *In Antepradicam. cap. de motu.*

VAlet, tanquàm termini, non tanquàm ſubiecti; neceſſe eſt enim in generatione ſubeſſe patiens ex 1. *Phyſ. T.* 53. *&* 69. Amplius valet de non eſſe actuali, & exiſtentiæ ad

esse actuale, & extra causas, non alio modo. Rursùs de non esse talis speciei ad esse talis speciei, vt de embrione ad hominem, de non ligno ad lignum, &c.

SKOLION. Quod mutatur de non esse ad esse dupliciter intelligitur mutari, vt insinuat expositio, vel per modum termini, vel per modum subiecti. Quod per modum termini sic mutatur verè dicitur oriri, & proindè etiam corruptioni succumbere; Quòd verò per modum subiecti non dicitur oriri, sed eo permanente nouam formam, & speciem acquirere, & sic mutatur materia prima, cùm adhuc ingenerabilis, & incorruptibilis per se remaneat, *ex* 1. *Physi. T*. 82.

Generatio, & corruptio sunt vna mutatio. 1. *de Ortu T*. 16. & 20.

PRocedit verum attrrbutiuè, non terminatiuè. Item materialiter, non formaliter.

SKOLION. Attributiuè, in hoc casu, importat à Natura intendi sub ratione vnius, quod de facto est in præsenti; quia, licet non possit haberi generatio alicuius, absq; corruptione alterius, vt infrà; attamen generatio principaliter intenditur, & corruptio in gratiam eius, vt e. g. corruptio ligni in gratiam ignis; Terminatiuè postea dicit esse motus ad eosdem terminos, & est clarissimè falsum, cum generatio sit ad esse, & corruptio ad non esse.

Generatio est mutatio totius in totum. 1. *de Generatione T*. 23.

VAlet de totalitate composita omnium partium, & essentiali, non integrali, neq; accidentali, quo pacto ex albo fit nigrum. Item totius compositi, & sensibilis, non totius simpli-

simpliciter, quod est ex tota nouitate partium, manet namq; semper materia prima, quæ non fit, nec sensibilis est.

SKOLION. Totalitas, quæ in generatione adipiscitur, totalitas substantiæ dicitur, & consurgit ex materia, & forma, vt ex potentia, & actu, quæ vnio, & resultantia necessariò tota, vel deperditur, vel acquiritur, cum fuerit vnius per se, & vnius esse specifici in indiuisibili consistentis. Totalitas postea accidentalis, non ex potentia, & actu consurgit, vndè vno ex his ablato, remanet adhuc totùm, non quale illud erat, sed alterum. In generatione itaq; substantiali prima totalitas attenditur, non ista secunda, licet suo modo, & proportionaliter hæc cum illa habeatur.

Generatio ex contrarijs est, & inter contraria. *2. de Ortu T. 24.*

MAncipatur veritati, quatenùs est inter formam, & priuationem, non quatenùs transitus de non esse ad esse, nàm sic est inter contradictoria, dicente Aristot. 5. *Phys. T. 7.* Amplius ex priuatiuis, non ex positiuis, ni fortè dispositiuè sumatur generatio, scilicet cum præuijs requisitis ad eam; vide supra lit. A.

Generatio vnius, est corruptio alterius. *1. de Ortu T. 17. & 3. Phys. & 73.*

COncomitanter, & in sensu causali postulat intelligi, non in formali, & idemtico, cùm tali modo sint mutationes maximè distantes, & contradistinctæ, vt paulò supra tactum est, cum de terminis illarum sermo haberetur; Insuper in substantijs omnibus, non in accidentibus. Amplius per se, & extra casum minimi naturalis, non per accidens, & vbi mi-

Banes. Ruuius. Chart. nimum naturale supponitur, ita Pater Banes, Io: Ludouicus Chartarius, Ruuius, &c.

Generans, & genitum debent esse eiusdem speciei. *7. Met. T. 28. & 4. Math. cap. 1. T. 2.*

CVrrit in sensu recto de ijs, quæ generantur per propagationem seminis, non ex putri materia, & à casu, vt infra tangetur. Cæterùm de illis, quæ generantur, vt tota, non vt partes, vt sunt capilli, vngues, &c. Præterea nullis datis impedimẽtis, sed seruato consueto Naturæ ordine, nõ &c.

Generatione posteriora priora sunt perfectione. *9. Metaph. T. 15.*

COhæret veritati de perfectione naturali, quæ dicit complementum vltimum particularis Naturæ, siquidèm insinuat Naturam vniuersalem magis circa ipsa elaborasse, non de morali: Insuper in ijs, quæ verè terminant generationem, & suppositi, vel hypostasis nomen habent, non solius entis, quandoquidèm passiones naturales posteriores sunt naturâ ipsis formis, & tamen non sunt illis perfectiores.

Genus differentiarum per se non est particeps. *7. Metaph. T. 42.*

FIrmiter subsistit de differentijs primò diuidentibus Genus, & immediatè illud ad subalterna contrahentibus, non de alijs. Amplius dicitur per se, in primo modo dicendi per se, non de reliquis tribus alijs.

SKOLION Ex doctrina Phil. 1. *Post. cap.* 4. quatuor sunt modi dicendi per se, hoc est naturaliter, & necessariò de subiecto

biecto aliquo enunciabiles. Primus est, quando prædicatum est de essentia subiecti, vt homo est animal. Secundus, quando subiectum est de essentia prædicati, vt dicendo recta est linea. Tertius, quādo quis per se, sine alio insinuatur esse, qui proprius est 1. substantiæ, vt sortes est. Quartus deniq; quando aliquid per se à sua causa dependere connotatur, vt quòd iugulatur iugulatione intereat.

Genus diuiditur per differentias oppositas. *7. Metaph. T. 43 & 52.*

VAlet primâ diuisione, non alijs diuisionibus infra primàm. Item per oppositas reducibiles ad priuatiuorum speciem, non ad positiuorum, & contradictoriorum; inquit enim Aristot. 1. *Phys. T.* 51. semper vnum contrariorum esse peius altero, per quod peius interpretatur priuatio, & defectus denominans opposita ipsa priuatiua.

Genus æqualiter non prædicatur de speciebus. *4. Topic. cap. 1. & 2.*

SVbsistit de æqualitate omnimoda, & passiuè, non actiuè, & de æqualitate prædicationis, quæ vniuoca conuenientia est, sed communis multorum in vno. Item secundum Alios, nō æqualiter distributiuè, benè autèm collectiuè. Rursùs primò intentionaliter, non secundò.

Genus imperfectius est specie. *3. Metaph. T. 11. & 4. Topicorum cap. 2.*

VSurpatur verum secundum continentiam actualem, non secundum potentialem. Amplius intensiuè, non exten-

extensiuè; liquet enim Genus maiora sub se continere, & ad maiora referri, ac proindè maioribus dominari, quàm species. Item quia, quæ continet Genus continet confusè; quæ verò continet species continet distinctè.

Genus in vna specie saluari potest. 1. *Post.* *T*. 12.

NOn dubium de Genere materialiter sumpto, seù pro substracto Geueris; Falsum autem formaliter, & vt in numero continetur secundarum intentionum, quo pacto est locutus Aristoteles de illo 4. *Topic. cap.* 3. & 7. *Metaph. T.* 43. dùm inquit Genus necessariò ad plures species referri, quemadmodùm animal ad hominem, Leonem, &c.

Genus magis substantia est, quàm species 8. *Metaph.* *T*. 2.

VAlet quantum ad continentiam plurium, nàm Genus est vniuersalius specie, non in ratione substandi, siquidèm particularius, isto modo, magis substãtia est, quàm quod est vniuersalius; vndè rectè *in prima Cathegoriarum* inquit Aristoteles primam substantiam esse maximè substantiam, quia, & continet secundas, & sustinet accidentia, deinceps quod magis huic appropinquatur, & porrò species est, non Genus.

Genus non continet sub se differentias. 7. *Metaph.* *T*. 43.

IN hoc sensu veritatem habet; quòd non contineat differentias diuersas, vt determinatũ determinatas, quia sic idem simul participaret contraria, quoniam differentiæ contrariæ sunt

sunt *ex 10. Metaph. Summâ 2. cap. 1.* non verò, sicut indeterminatum diuersa determinata. Insuper veritatem habet sic, quòd non contineat differētias diuersas, tanquàm extraneas, & aduenientes, sicut aduenit album homini, benè autèm tanquàm eiusdem essentiæ.

SKOLION. Dupliciter dicitur genus continere differentias, vel in genere causæ materialis, vel in genere formalis. In genere causæ materialis, si sumatur secundum quòd principaliter ipsum significat, & à quo sumitur ad significandum, quoniam sic dicit materiam, & materia continet formas. In genere posteà formalis, quando sumitur, vt totum confusum, & indeterminatum, eo quòd species, & differentias simul aggregat, & est totum per vnionem illarum, dicente Aristotele *2. Phys. T. 31.*

Genus non est quid vnū in multis. *7. Phys. T. 31.*

TRitum est de vnitate physica, quæ sumitur ex vnitate formæ, non de vnitate logica, quæ est vnitas rationis, & vniuersalitatis. Itèm primò intentionaliter, non secundò.

SKOLION Duplex est vnitas, in proposito, alia logica, & hæc datur cuilibet secundæ intentioni, soletq; dici cōuenientiæ conceptiuæ, siue vniuersalitatis. Secunda verò datur cuilibet extracto à possibili esse. & extra sinum causarum; & hæc subdiuiditur, nàm alia est ex vnitate subiecti, & personæ, & solet dici secundum quid, & datur omnibus generibus, quæ sumuntur ex eadem persona, vt apparet in arbore Porphyriana, per quā subalterna, & specialissima ascendunt in hanc vnitatem; alia sumitur ex vnitate actus formalis, & dicitur vnitas simpliciter, & ista nulli generi communicatur, sed solummodò speciebus, cuius ratio est, quoniam species sumitur ab vltima differentia, quæ connotat formam simpliciter

citer

citer vnam in rerum natura ; Genus autèm tantummodò à forma, quæ est vna secundum rationem sumitur, cuius signũ, quòd non est aliqua forma, ex qua homo sit animal, præter eam, ex qua homo est homo; neque in Equo, neque in Boue, &c. est aliqua alia communis anima, quæ constituat animal, præter illam, quæ determinatè ipsa seorsim ponit in esse, quod secùs est de specie, siquidèm omnes homines, qui vnius speciei sunt, conueniunt in forma, quæ constituit hominem, propter quòd Genus vnum simpliciter logicum est, & secundum quid physicum; species verò & logicè, & physicè vna simpliciter est, ita Auerroes sup. T. 11. 3. de Anima, & D. Thomas 1. part. q. 66. art. 2. ad secundum.

Auerr. 3. de Anima C. T. 11.

Genus speciebus identificatur. 7. *Met. T.* 43.

IN compertò habetur primò intentionaliter, vt animal cum homine, non secundò, alioquin quinq; Prædicabilia Porphyrij non essent diuersa, & secundæ intentiones Logicæ diuersæ, quinimò relatiua ipsa distincta, quòd Porphyrio cõtradicit, & veritati. Ampliùs in compertò est de identitate materiali, non de formali; habentia enim definitionem diuersam, secundum Metaphysicos, etiam formalitatem diuersam habere necesse est.

SKOLION. Terminus *primò intentionaliter*, in hoc casu, importat reale esse, & considerationem factam super materiam rei; *secundò autèm intentionaliter* importat esse intelligibile, & considerationem factam super esse cognitum, vt quod tale sit Genus, sit species, &c.

Genus

Genus ſumitur à materia, & differentia à forma. *8. Metaph. T. 6. & 10. eiuſd. T. 24.*

IN ſubſtantialibus poſtulat intelligi, non in accidẽtalibus, vt exemplo ſimitatis, quæ definitur concauitas naſi doctiſſimè probat Auerroes. Amplius proportionaliter ſolùm, non identicè. Cæterùm in habentibus vtrumq;, non in alijs (ſi quæ ſunt) vt ſeparata, ita D. Thom. 1. par. q. 50. & de Spiritualibus creaturis q. 24. Vlteriùs non immediatè à materia, & forma, vt ſunt partis, ſed à materia, & forma totius, vt ſupra, & ex Alamanio in de Generatione, & Corruptione. *D. Tho. 1. p. q. 50 & de S. C. q. 24.*

Genus ſumptum, vt genus, non prædicatur per ſe de differẽtijs, nec differẽtiæ de ipſo. *2. Poſt. T. 18.*

INtelligitur verum de differentijs diuiſiuis, non conſtitutiuis ſpeciei; cùm enim iſtæ aliquo modo Genus componant, etiam de illo prædicari poſſunt. Item de ſubalterno genere, non de generaliſſimo; hoc enim, cùm ſit ſimplex, queit de differentijs prædicari ſimplicibus, at non ſubalternum, quod eſt compoſitum, nàm conſtat compoſitũ de ſimplici nõ prædicari: Et ſi quandoq; (quòd ſatis raro) videretur ſubalternum de differentijs prædicari, hoc non erit, vt differentiæ ſunt, ſed quatenùs complicant ſpeciem, ita Boethius in cap. de Communitatibus, quinimò ipſe Ariſt. 4. *Topic. cap.* 3. & 6. quò loci hæc ratio refertur, quia ſi Genus prædicaretur de differentijs, vt animal de rationali, & mortali, tunc rationale, & mortale eſſent animalia, quòd abſurdiſſimum eſt. *Boeth. cap. de Comun.*

Graue, & leue non ſunt principia actionis, & paſſionis. *2. de Gener. & Corrupt. T. 8.*

SVbſiſtit de actione, & paſſione communiter acceptis, non de illis, quæ fiunt per paſſibiles qualitates; vndè *1. Cæli T.* 17. dicebat Ariſt. grauitatem, & leuitatē eſſe motus ſecundum locum principia, & tamen localis motus quædam actio eſt, licet non alteratiua, quæ per paſſibiles qualitates celebratur, vt infra.

Grauia, & leuia mouentur à generante. *8. Phyſ. T. 33.*

VAlet quando per ſe, & naturaliter mouentur, nō quando per violentiam. Item, vel virtualiter, vel actualiter, non neceſſariò actualiter, quia liquet poſſe moueri ad ſua loca naturaliter, & eorum generās eſſe corruptum. Item magis principaliter, non cum excluſione omnium aliorum.

Grauiſſimum omnium eſt, quod in medio eſt. *1. Metheor. c. 1.*

Auerr. 3. Cæli Com. 9.

Fortunius Licetus.

VErum in ſimplicibus, & penès ordinem Vniuerſi, non in mixtis, & citra ordinē Vniuerſi; hinc Auerroes 3. Cœli Com. 9. inquit aurum grauius terrâ eſſe, licet poſſim ego illi obijcere, quod etiam aurum terra eſt, cum mihi ſuffragetur auctoritas Liceti, ac plurimorum aliorum dicentium terram puram duriorem eſſe adamante, ad quam duritiem videtur probabiliter ſequi grauitas, ex regulis communibus Metheoriſtarum.

Gu-

Gustus est quidam tactus. *2. de Anima T. 94.*

IN genere intelligendus est Philosophus, non in specie: Item in qua ratione communi obiecti conueniunt, non in particulari. Amplius quoad modum sentiendi, quia gustus in tangendo suum obiectum percipit, non quantum ad obiectum, siquidèm sapor, qui est obiectum gustus, non est vna ex qualitatibus, quæ sunt obiectum tactus.

H

Habito fine cessat agentis operatio. *1. de Ortu T. 55.*

VAlet, habito eo, quoad executionem, & existentiam, non quoad intentionem, estq; sensus, quòd habito eo, quod præmouebat Agens, non amplius illud agit: & licet Auerroes 12. Metaph. Com. *36.* (loquor cum Peripateticis) dicat balneum in esse intento habere rationem efficientis, & non finis, tamen responsio est, aliud esse rem sub esse intento esse finem, & aliud, quòd pro illo esse sit finis, primum enim vndiq; verum, secundum autèm falsum. Item valet de actionibus proprijs, & ordinatis in illum finem, putâ disponentibus, vel requisitis ad dispositionem, non terminatiuè; sic .n. Simplicius, Boccaferreus, Chartarius, &c. interpretantur verba subsequentia *vndè habitibus præsentibus cessant in materia actiones.* *Simplic. Boccaf. Chart. in 1. de Ortu.*

Habitus est perfectior actu. *3. Ethic. cap. 1.*

SVbsistit Effatum, quando habitus est causa principalis ipsius actus, non quando est instrumentaria; operatio

 enim,

enim, quæ actus est, finis quodammodò ipsius habitus videtur, quandoquidèm plena perfectio cuiuslibet habitus, gratiâ operationis conspicitur, cùm sit, vt promptius, & suauius operemur. Item subsistit de habitu acquisito, vt putà, qui plures includit actus, & velut totum se habet ad illos, non de infuso, & naturali intellectus, qualis vocatur habitus primorum principiorum. Insuper de perfectione secundũ quid, non simpliciter, quoniam id, quod minus dependet est excellentioris naturæ eo, quod dependet, & talis est actus respectu habitus. Deniq; ratione stabilitatis, & firmitatis, non ostensionis, aut potentiæ distinctionis, *ex 2. Ethic. cap. 1.*

Habitus principia sunt actuũ. *2. de Anima T. 39. & sectione 6. Probl. prob. 7.*

VErificatur de principijs specificis, & denominationis, non cõpositionis; potius .n. actus faciunt habitum, quàm è conuersò. Insuper valet de habitibus naturalibus (qualis est ipse primorum principiorum) & respectu actuum secundorum, non de acquisitis, qui verè fiunt ex frequentatis actibus.

Habitus principiorum non est scientia. *2. Posteriorum Analytic. T. 27.* & secundum aliam versionem *T. 102.*

MAximè verum de scientia dianoetica, at falsum de noetica. Insuper verum actualiter, quia principium scientiæ nõ est scientia, quemadmodùm principium demonstrationis non est demonstratio *ex 1. Post. T. 6. & 4. Met. T. 26.*

SKOLION. Dianoetica cognitio idem est, ac discursiua, videlicet, quæ per processum ex noto ad ignotum habetur, siqui-

ſiquidèm Dianoeſis latinè diſcurſum dicit; Noetica verò intuitiua cognitio eſt, de præſenti ſcilicet obiecto, quà præſens eſt, quoniam noeſis Græcè latinè intuitum dicit.

Habitu vtimur, cum volumus. *3. de Ani. T. 8.*

VEritati conſonum eſt de habitu naturali, qui adipiſcitur per principia naturalia, & per frequentatos actus, vt ſuprà, non de ſupernaturali, ad quem cõſequendum, & exercendum gratia requiritur; vndè ſecundum hunc non poſſumus, quotiaſcunq; volumus, ad differentiam naturalis, qui in actum exit imperio voluntatis. Item, vel benè, vel malè, non neceſſariò benè, nec neceſſariò malè.

Habitibus nõ datur alteratio. *3. Phyſ. T. 8. & 15.*

VSurpatur primariò, quia ſimilis alteratio eſt in tertia ſpecie qualitatis, non ſecundariò; factâ enim alteratione ſecundum calidum, & frigidum ſequitur animal alterari ſecundum ſanum, & ægrum: Et pariter factâ alteratione ſecundum vires ſenſitiuas apprehenſiuas ſequitur alteratio ſecundum ſcientiam, & virtutes, vt dicitur 7. *Metaph. T.* 20.

Hominum genus arte, & ratione viuit. *1. Metaph. cap. 1.*

COniunctìm verum eſt in generali, at diſiunctìm ſolùm in particulari; quocircà nõ eſt opus omnem hominem arte cum ratione viuere, ſed, vel arte, vel ratione, cum iſtæ duæ ſint regulæ, & conditiones eius vitæ. Inſuper verum de arte, vt induſtriam, & rationis artificium dicit, non mœchanicas, & vulgares regulas aliquid agendi.

SKOLION. Ars,in hoc à Ratione differt, quòd Ars, estò à ratione effectiuè sit,tamen respicit opus,& materiam externam; Ratio verò speculationem, & veritatem.

Homo dicitur scire, etsi nullam habeat scientiam. *3. de Anima T. 38.*

SVmitur hoc radicaliter, & virtualiter, nàm homo habet esse tale, cui conuenit scire, non actualiter, quasi quòd habeat semper istum habitum,absq; actu dominante,& componente ipsum. Huius exemplum ab Aristotele adductum est vas, quod, licet non contineat actu liquorem, est tamen capax continendi. Item in actu signato, non exercito.

Honor est operationis benefactiuę signum. *1. Rhetoricæ cap. 9.*

GErmanè intelligitur de signo formali, non instrumentali. Insuper de signo formali consuetudinis, non beneplaciti. Amplius operationis benefactiuæ moralis,non naturalis.

SKOLION. Signum formale est, quod ex se repręsentat id,cuius est signum, vt e. g. actus intellectus ipsum intellectum; Instrumentale verò est, quod præsuppositâ cognitione sui aliquod aliud repręsentat,vt imago picta. Signum cõsuetudinis est,quod fundatur in Natura, sed ab arte habet,quòd significet, vt ramus plantæ tabernam. Ad placitum deniquè est, quod fundatur in volũtate tantùm, de quo prolixè Pater Hurtadus in de Terminis significatiuis, & non significatiuis sect. 4. & Complutenses in de Vocibus simplicibus cap. 1.

P. Hurt. de Ter. sign. sec. 4. Complutenses de Vo. sim. cap. 1.

Honor

Honor magis est honorantis, quàm honorati. 1. *Ethic. cap. 5.*

SVbsistit, quatenùs nobilius est agere, quàm pati; cùm enim honor signum sit optimæ opinionis, quæ habetur de valore, & virtute alicuius, decet tale signum fieri aliquo actu externo, qui à voluntate vtriusq; procedit mutua; e. g. quia agere, vt supra, præstantius est ipso pati, propterea honor dicitur actiuè esse in honorante. Item quia liberè à colente fit, & qui colitur externum signum recipit, quemadmodùm lignum ignis calorem.

Honorem non meretur prauus. 1. *Rhetoricæ cap. 1.*

VAlet in quo genere prauus est, non in alio, aut absolutè. Prætereà de honore debito, non indebito, qui extrinsecè solùm obsequiosus est, vt honor subditi erga Tyrãnum. Cæterùm, quia honor cultus maior est, qui ideò solos bonos decet, quia Numinibus, & sapientibus cõgruit, nõ &c.

I

Idem bis relatiuè non dicitur. 5. *Metaph. cap. de Adaliquid.*

ESt verum spectatâ relatione secundũ genus tantùm, non fundamentaliter, & formaliter simul. Amplius vnâ specie relationis, non multiplici, & diuersa; quocircà Pater ad filium referri potest, & vt pater, & vt dominus, & vt Medicus, si ipsum filium suum docuerit medicinam, sicuti Nicomachus Aristotelem.

Idem

Idem eſt agens materiam diſponens, & formam introducens. *8. Phyſ. T. 32.*

NOn inficiatur de agente proximo, & potentiali, benè autem de remoto, & vniuerſali, quod æquiuocum dici ſolet; veluti enim meridies hæc veritas corruſcat vnum effectum à pluribus cauſis ſubalternatis prodire poſſe, Amplius verum de agente principali, & vt *quod*, non vt *quo* tantùm, vt ſunt accidentia.

Idem eſt principium diſtinguendi, & eſſendi. *2. Poſt. cap. 2.*

PRobè accipitur de principio primo per ſe, & eſſentialiter, non quoad nos ſolùm, & per accidẽs, cuius ſignum eſt, quod genus, & materia ſunt principia eſſendi, ſed nequè diſtinguendi, neq; cognoſcendi. Cæterùm accipitur de principio completo, & formali, non de incompleto.

Idem eſt ſubiectum motus, & termini motus. *3. Phyſ. T. 15.*

MAximè verum de termino intrinſeco, & eſſentiali, nõ de extrinſeco; hinc, licet generatio ſit terminus alterationis, non tamen propter hoc opus eſt ſubiectum generationis eſſe aliquid in actu, vt eſt in alteratione: Item motus per ſe dici, non &c.

Idem

Idem eſt numerus diuerſorum numeratorum.

4. Phyſ. T. 110.

SVbſiſtit adæquatè de numero numerante, qui eſt ſemper idem omnium numerandorum, non de numerò numerato, quale eſt tempus reſpectu motus, alioquin idem eſſet tempus mutationis, quæ præterijt, & quæ futura eſt; quod abſurdum eſt dictu.

SKOLION. Numerus numerans eſt tranſcendentalis illa, & ſignata vnitas, quæ per omnes numerorum ſpecies vagatur, & dicitur ab Arithmeticis imaginarius, mathematicus, & non applicatus numerus, vt 1, 2, 3, &c. numerus numeratus eſt ipſa res, quæ numeratur, ſeù applicata illa conditio, quà redduntur ſub tali ſpecie numeri ipſa nùmerata, vt duo Leones, tres Equi, &c. & hic porrò nequit eſſe idem diuerſorum numeratorum, benè autem primus.

Idem inſtans manet in toto tempore motus.

6. Phyſ. T. 7.

SApit veritatem de inſtanti ſecundum ſubſtantiam, ſiuè intrinſecum ſit, ſiuè extrinſecum, non de inſtanti ſecundum rem formæ, vt moris eſt Metaphyſicorum dicere.

SKOLION. Inſtans ſecundum ſubſtantiam, intrinſecum dictum, eſt, quod dicit menſuram mobilis, & illi inflexibiliter ineſt. Inſtans verò ſecundum rem formæ dicit terminum, & diſtinctionem rationis, eſtò ſit continuitas ex parte rei.

Idem manens idem semper est natum facere idem 2. de Generat. T. 56.

VAlet de eodem reduplicatiuè, manente scilicet eodem cum ijsdem requisitis, non sub diuersa ratione, & deficiente aliquo ex proprijs ad actionem. Insuper de agente naturaliter operante, non liberè, vt supra, & propter hoc, licet Deus sit vnum Agens, in quo nulla vnquàm est diuersitas, nihilominùs, pro libitu suo, potest multiformes effectus producere, vnum alio perfectiorem in infinitum.

Idem naturaliter non mouetur motibus oppositis. 3. Phys. T. 19.

DE illis, & in illis valet, quæ sunt ab intrinseco, minimè si vnum sit ab intrinseco, & aliud ab extrinseco: Insuper valet præcisè naturaliter, non additâ arte, vel violentia. Prætereà simul, & quoad totũ, non diuersis actibus, & quoad partes; videmus namq; oleum, & partes in aereo ambitu descendere, sed in aqua ascendere; vide supra litera A. in principio.

Idem non agit in se ipsum. 1. de Ortu T. 46.

APprobatur de eodem secundum idem, non secundum diuersa; sic enim intellectus, inquãtum intelligit principia actu, reducit se ipsum in actum penès conclusiones: Sic quoq; voluntas in quantum vult finem reducit se in actum respectu eorum, quæ sunt ad finem. Itèm approbatur de eodem secundum totum, non secundum partes; constat enim aliquem percutere se ipsum, animam erudire se ipsam, amare se &c.

Idem

Idem non poteſt eſſe in ſe ipſo. *4. Phyſ. T. 24.*

INtelligitur, non per alterum, ſed per ſe ipſum, quemadmodùm ibi tradit exemplum Philoſophus de parte, quæ eſt in toto; Cùm enim iſta ſit aliquid totius ex *T. 13. eiuſdem citati libri*, aliquo modo eſſe in ſe ipſa poteſt. Itèm ſecundariò, & per accidens, non primariò, & per ſe. Cæterùm in compoſitis creatis, & ſubſiſtentibus, non in Diuinis, &c.

SKOLION. Tribus modis dicitur aliquid eſſe in alio, ſecundum propoſitam materiam, primò per identitatem, & ſic filius Diuinus eſt in Patre; ſecundò per ſimilitudinem, & ſic cognitum eſt in cognoſcente; tertio per impulſum, & inclinationem, & ſic amans eſt in amato, & è conuersò. Secundus, & tertius excludunt eſſe in ſe, nominatum ab Ariſtotele, primus autèm minimè: Et licet pars ſit aliquod creatum, & dicatur eſſe in toto, vt in ſe ipſa, tamen non eſt aliquod compoſitum, neq; per ſe ſubſiſtens, de qua &c.

Idem non poteſt eſſe prius, & poſterius. *3. Phyſic. T. 11.*

CVrrit de eodem, ſecundum eandem rationem, non ſecundum diuerſas; Cœlum enim eſt prius homine ſecundum originem, ſed non ſecundum perfectionem, propter quòd hoc habet magis rationem finis, quàm Cœlum. Inſuper currit reduplicatiuè, non per circumlocutionẽ, nàm tali modo, quod eſt poſterius, poteſt euadere prius, & quod prius, poſterius. Cæterùm in eodem genere, non in diuerſo.

Idem specie effectus non producitur à diuersis secundum speciem. *7. Met. T. 28.*

IN recto sensu manet de agentibus immediatis, habẽtibus operationes determinatas ad determinatos effectus, sicut ab arte, & à Natura, non de agentibus remotis, quale agens est Deus, qui non habet operationem determinatam ad aliquem effectum, imò vnâ solâ operatione potest omnes effectus, quos vult, producere, & ideò eundem effectum specie, quem Natura producit, Deus potest sine operante Natura producere.

Id, quod incorruptibile est nequit esse pars rei corruptibilis. *10. Met. T. 26.*

VAlet de incorruptibili, tàm secundum essentiam, quàm secundum existentiam, non secundum essentiam tantùm; hinc est, quòd Arist. vult vniuersale esse partem singularis, quod est corruptibile, & anima rationalis pars hominis, qui tamen moritur, & desinit. Item de illo incorruptibili, quod, neq; vt *quo*, neq; vt *quod* est ordinatum corruptibili, non de alio, vt anima nostra,

Ignorantes puniendi sunt. *3. Ethic. cap. 5.*

INtelligitur de ijs, qui ignari sunt ignorantiâ prauæ dispositionis, non puræ negationis. Amplius, si non nitantur, se ab illa liberare, aut voluntariè discedere, secùs, minimè.

SKOLION. Iuxta Arist. 1. *Post. cap. 9.* per totum. Ignorantiæ duplex est genus, aliud puræ negationis, & aliud prauæ dispositionis. Ignorantia puræ negationis est simplex nescien-

ſcientia terminorum, & ſubiecti alicuius ſcientiæ, quam qui habet, interrogat, tàm ſimplici modo, vt putet etiam Geometram illi poſſe reſpondere de numeris, qui tamen ſunt proprij Arithmetici, & pariter Arithmeticum de lineis, & ſuperficiebus, quæ ſunt propriæ ipſius Geometræ, & iſta (ſecundum Capharellum in Comment. dict. 1 Tex.) eſt in nobis à natura, & conſequenter eam pueri habent reſpectu omnium ſcientiarum. Ignorantia prauæ diſpoſitionis eſt notitia dubia alicuius concluſionis, ob prauam opinionem, vel circa eam, vel circa media ipſius, quàm qui habent interrogant ſcientificos, non vt doceantur (quia hic eſt tenor prauæ diſpoſitionis) ſed vt ab eis aliquid trahant, quo, vel eos obiurgare, vel conuincere poſſint, vt eſt ignorantia ſceleſtium Hæreticorum reſpectu Catholicæ Fidei, quæ porrò ignorantia perniciosa, & damnoſa eſt. *Caphar. in Com. 1. Poſt.*

Ignorato motu ignoratur, & Natura. *3. Phyſ. T. 1.*

VVlt intelligi de ignorantia reſpectu *quid* ipſius Naturæ, non reſpectu ipſius *ſi eſt*. Item quando à poſteriori quæritur natura, quia motus propria paſſio eſt Naturæ, & per paſſiones contingit ſubiecta ſciri, non ſimpliciter, quia cùm Natura ſit vnum ex per ſe notis, à priori non indiget probari, vt infrà. Amplius valet de cognitione confuſa motus, non de diſtincta, quia ſic ipſe motus per naturam habet cognoſci, ita Vilalpandus, Maſius, Zabarella in dicto tertio. Tandem verum in ratione ſubiecti, quia ignoratâ paſſione propriâ, per propoſitionem complexam, opus eſt ignorare ſubiectũ, hoc eſt neſcire definire, non alio modo. *Vilalp. Maſius. Zabar.*

SKOLION. Dicitur à Philoſopho, quòd ignorato motu ignoratur & Natura, non verò ignoratâ quiete, quia motus eſt notior ſecundum ſe ipsâ quiete; item quia quando vnum con-

contrarium est ex alio cognoscēdum facilius ex positiuo per vacuum, vt ex motu quies cognoscitur, ex eo, quòd facilius per habitum cognoscatur priuatio, quàm è conuersò. Accedit, quòd motus, de se, & communiter, præstantior est ipsâ quiete, cùm corpora Cęlestia semper moueantur, & nunquā quiescant, quæ secundum Carpentarium in Descriptione terræ cap. 7. Skolio 1. quædam perfectio est,

Carpent. in Desc. Terra c. 7.

Illa in quorum materia non est principium actiuū fiunt tantùm ab arte. *7. Met. T. 29.*

POstulat sic intelligi, vt ea, quæ inter se non habent, & exeant in actum, ab arte, vel à casu fieri, non respectu actus primi, pro quo

SKOLION. Aliqua sunt, quæ & ab arte, & à casu fiunt, vt secundum Arist. sanitas, quæ & arte, & deambulatione fieri potest; alia verò ab arte tantùm, vt domus, & ratio primi est, quia in illis datur pars aliqua, quæ potest aliquando esse principium coadiuuans, vt est calor naturalis respectu sanitatis, non respectu secundi, quoniam lapides, & ligna non habent internum principium, quod adiuuet, aut ancilletur productioni domus,

Illa sunt vnum, quorum principia sunt vnum. *12. Met. T. 22.*

VAlet de vno vnitate analogiæ, non numerica, vel specifica. Item de principijs proximis, non remotis, aut primo primis, sicuti sunt Deus, & Cœlum: Rursùs vnum ordine non naturâ, siquidem omnia à Deo sunt, & in ipsum plenè ordinantur, & tamen, præter ordinem præscriptum, non sunt vnum, at plura, & distinctissima.

Illud

Illud non fit simpliciter, cuius partes non fiunt. *7. Met. T. 27.*

VEro subest de factione completiua, non subiectiua; certum enim est, quod materia nunquã fit, & tamẽ est pars compositi, quod simpliciter fit ex *1. Phys. T. 64.* Cæterùm subest vero de partibus formalibus, & proximis, non de materialibus, & remotis. Item per productionem, quę physicam transmutationem importat, non de alia.

Illud magis diligitur cuius oppositum magis odio habetur. *3. Topic. cap. 4. & 7. Ethic. cap. 2.*

OPtimè procedit, quando maius eligendum non includit minus eligendũ, secus minimè; vndè non sequitur magis odio habemus nõ viuere, quã benè viuere, ergo magis est eligendum viuere, quàm benè viuere, quia in benè viuere stat etiam inclusum ipsum viuere. quod totum confirmatur ex interpretatione alterius Effati huic connexi, illud est maiùs bonum, cuius oppositum est maius malum, in 7. *Ethic. cap. 5.* nàm interpretatur verum in bonis disparatis, quorum vnum non supponit aliud, non è conuersò, nàm secundum Arist. non valet Euchia est magis bonum, quàm sanitas; ergo oppositum Euchiæ est maius malum, quàm ægritudo.

SKOLION. Oppositio aliquorum, quando non est vniformis, non importat dictam veritatem; vnde non est opus concludere, si odire est maius malum, quàm ignorare; ergo ipsum diligere est maius bonum, quàm cognoscere, & scire; non enim vtrobiq; par ratio est, siquidem odium opponitur dilectioni contrariè, ignorantia verò priuatiuè, & secundum etiam Alios contradictoriè. Illud,

Illud, quo fit motus debet moueri, & mouere.
8. Phys. T. 37.

INtelligitur verum de motione primaria, & principali, non de secundaria; Asserunt enim Historici Torpedinem piscem primò commouere rete, & secundàriò manum Piscatoris, & eò tunc ipsa non mouetur. Amplius de mouēte physico, & dependenti à primo, non de ipso primo.

Illud, quod se habet ex additione ad aliud in simplicissimo inueniri non potest. *12. Met. T. 41.*

REctè verificatur de additione entis, non modi; vndè scientia in Deo, non ex additione per modum entis ad essentiam habetur, at solummodò per modum intelligendi; qua de re importat modum alterius perfectionis ab essentia, non verò aliam perfectionem: Similiter verificatur de addito realiter distincto, non virtualiter solùm.

Illud, quod mouetur est in loco determinato.
5. Phys. cap. 1. T. 8.

APprobatur de eo, quod mouetur per se, non per accidens; Item de eo, quod propriè, & adæquatè mouetur, non de alijs, & ob hoc materia prima, si moueretur, impropriè esset in loco, sicuti locus ipse materialis, qui est superficies, & punctus, qui terminat lineam, & positionem habet in ea: Amplius, vel definitiuo, vel circumscriptiuo, non circumscriptiuo solùm.

Ima-

Imaginatio nata est esse principium motus localis. *cap. 3. de Anima T. 48.*

OCcasionaliter, & dispositiuè hoc intelligitur non formaliter; etenim imaginationem consequuntùr animæ passiones, iuxta quas mouetur, & per ipsum commotio fit spirituum, à quibus totius corporis motus efformatur, iuxta ea, quæ 3. p. q. 13. art. 3. ad 3. docet D.Tho. Amplius in subiectis determinatis, non quomodocunq; quoniam inanimata principium habent motus localis, & planè imaginationem non habent. *D. Tho p.1.q.13. a.3.ad 3*

Immaterialitas est ratio cognoscendi. *2. de Anima T. 121.*

VAlet de cognitione intellectiua, & abstrahente, non de sensitiua. Item vt quo; est .n. ratio, per quam aliquid est cognoscitiuum, vnde secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis, propter quòd primum mouens, cum existat in summo gradu dictæ immaterialitatis, est quoquè in summo gradu cognoscibilitatis, se ipsum per se ipsum intelligendo ex Philos. 12. *Metaph. T.* 39. non de immaterialitate, vt *quod*, ita Matthæus Aquarius in 12. Metaph. D ilucid. 5. *Matth. Aq. 12. Me. Di- luc. 5.*

Impossibile est fieri vnum per se, nisi alterum sit in potentia, & alterum in actu. *8. Met. T. 16.*

VErum de vno per se substantiali, & physico, cuius partes sunt materia, & forma, non de alijs compositis per se. quomodocunq; vocatis, vt sunt numeri; cum enim vnitates

ipsos componentes sint æquales, non videtur, quòd vna sit potentia, & altera actus, at benè in physicis; vide sup. lit. E.

Impossibile est prudentem esse malum. *6. Ethicor. cap. 8.*

DE malitia politica strictè intelligitur presens Effatum; Insuper de omni practica, & morali, non de rationali, & speculatiua, quæ internos respicit actus.

SKOLION. Prudentia in practicis non contrariatur veritati speculatiuæ, sed malitiæ factiuæ, & morali; quapropter prudentia. dicta, tàm de illis, quàm de istis non seruat veritatem Effati Aristotelici, benè autem de istis solùm.

Iu Æternis non differt esse, & posse. *3. Phys. T. 32. & 9. Met. T. 17.*

PRocedit verum in simpliciter perpetuis, & quæ sunt completa tota, non in partibus, & secundũ quid solummodò perpetuis: Sic materia prima æterna est *ex 1. Physic. T. 82.* & tamen potest varia esse suscipere, vnum post aliud, vt ferri, ligni, lapidis, &c. Sol quoq; perpetuus est, & tamen eclypsari potest, qui actus eclypsationis, dùm fit, videtur destruere illud posse. Insuper procedit de posse passiuo, non actiuo, quoniam ex D. Thoma in de Potentia Dei q. 3. art. 14. potentia passiua non præcedit esse, neq; consequitur; potentia autèm actiua benè, siquidèm libera est, propter quòd Deus multa potest facere, quæ non facit. Cæterùm procedit de posse ad esse, quod substantiuum est, non de posse ad agere, quod est de genere qualitatis, ita ad vnguem Ioannes de Neapoli, in Quæstionibus disputatis q. 23. puncto 5. ad 6. Prætereà de illis æternis, quæ sunt talia per essentiam, non per

D. Tho. de Potẽ. Dei q. 3. ar. 14.

Ioan. de Neap. q. 23. pũ. 5. ad 6.

per participationem. Vlterius respectu eorum, quæ sunt ad intra, non ad extra, vndè Deus ab æterno potuit esse Dominus, & Creator, & non fuit, idest in actu exercito non fuit, deficiente termino correlatiuo, qui est Creatura.

In abstractis à materia idem est intellectus, intellectio, & res intellecta. *3. de Anima T. 9. & 15.*

VAldè verum de illis Intelligentijs, quæ in intelligendo nullo modo pendēt à corpore, vt à subiecto, nec vt ab obiecto, & ideò de illis, quæ minimè simplicia sunt, vt est Deus, licet enim de primis Intelligentijs credant multi Arist. hoc voluisse, tamen de solo Deo respectu omnium dictorum trium verificari, autumasse fatetur Auerroes in Commēt. 51. 12. Metaph. vbi reddit rationem hanc, quia in solo Deo primo ente quidditas, & essentia sunt idem simpliciter, & omnibus modis, quoniam ipse solus est ens per essentiam, & quidditas absoluta; alia verò cuncta habentia quidditatem, & ab eo dependentia. *Auerr. Cōm. 51. 12. Me.*

In definitionibus accidentium ponitur substantia. *7. Metaph. T. 20.*

SVbsistit de accidentibus in concreto, non in abstracto. Ampliùs primò intentionaliter, & physicè, quo pacto dicitur accidens definiri per additamentum, non secundò intentionaliter, & metaphysicè.

SKOLION. In definitionibus accidentium concretorum subiectum est genus, in definitionibus verò eorundem in abstracto minimè, sed potiùs differentia: modò genus, & subiectum est summè necessarium in definitione, & proindè cùm substantia sit talis, sequitur, &c.

In differentijs consistit esse rei. *8. Metaph. T. 5.*

CVrrit de differentijs essentialibus, & vltimis,non de accidentalibus. Insuper tanquàm in signis, non tanquàm in principijs quidditatiuis; Et quia formæ substantiales, & principia essentialia rerum sunt nobis ignota, ideò oportet, quòd vtamur differentijs accidentalibus in designatione essentialium, & ita per accidẽtales peruenire ad cognitionem essentialium, & speciei.

Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius. *6. Phys. T. 4. & 5.*

SVmitur certum per modum continuationis,non per modum discreti; conspicimus enim vnitatem (quæ est indiuisibilis) additam alteri facere numerũ, & quid maius. Item respectu quanti quantitate molis, non virtutis. Vbi animaduertisse iuuabit,quòd etiam si compositum ex indiuisibilibus quoad formam continui sit indiuisibile, attamen sub forma discreti est diuisibile, quia talis est materia discreti, & forma idem est, ac natura rei ex 3. *Phys. T.* 17.& propter hoc numerus, licet sit diuisibilis, componitur tamen ex vnitatibus indiuisibilibus. Insuper verum de indiuisibili reali, vt *quo*, & vt *quod*, non ex suppositione, & vt *quo* tantùm.

Indiuisibile non potest alterari. *6. Phys. T. 32.*

CVrrit de indiuisibili habente positionem in continuo, vt est punctus, non de indiuisibili substantiæ. Amplius de alteratione physica, & propria,non de metaphysica,& impropria, sicuti est intellectio, volitio,&c. respectu Angeli, & hominis, & ratio est, quia physica alteratio est propter generatio-

rationem, indiuisibilia verò, generis substantiæ, incorruptibilia, & ingenerabilia sunt, vndè &c.

Indiuisibilia non sunt de essentia continui. *6. Physſ. T. 1.*

INtelligitur de essentia abstractiuo modo, non concreto, hoc est de conceptu essentiali, vt e. g. vnum relatiuum non est de essentia alterius, & tamen est de conceptu essentiali illius, cum nequeat esse absq; eo: Itèm de essentia, hoc est de constitutiuo, & causatiuo illius, non de terminatiuo; clauditur enim terminis indiuisibilibus quodq; continuum.

Indiuidua eiusdem speciei æqualia sunt. *3. Metaph. T. 11.*

IN Cardine veritatis est de æqualitate secũdum essentiam, quoniam essentia vnius, putà Petri e. g. non est magis, vel minus in Carolo, quàm in ipso, non secundum operationem, vndè est, quòd alia indiuidua sunt fęcunda, & fortia in operatione, alia non: Et quamuis operatiò sequatur esse *ex 2. Cœli T. 17.* & essentia sit eadem, tamen remotâ solùm potentia operandi est eadem, non proxima, quæ à multis impediri potest, aut ob organorum prauam dispositionem, aut ab extrinsecis.

Indiuiduum est incommunicabile. *5. Metaphysſ. T. 11.*

A Falso longè distat attributiuè, non effectiuè, siquidèm vnum indiuiduum potest esse causa adæquata alterius; vndè videmus vnum ignem communicare, etiam aquæ suum calo-

calorem, & vnum magistrum suis discipulis doctrinam, quam possidet. Amplius incommunicabile, vt fiat alterum se, non, vt non producat alterum sibi simile, quod pariter indiuiduum sit.

Inferiora in entibus gubernantur secundum superiora. *12. Met. T.44. & 1. Metheor. c. 1.*

DE gubernio, & regimine physico intelligitur quoniam opus est inferiora moueri à superioribus, *ex 1. Metheor. cap.* 1. non de gubernio morali, quandoquidèm in his multa fiunt præter naturales actiones corporum, & idcircò quasi Cœlo reluctante, quia quod obsoletum est, secundum Cœlestia non videtur esse, vt potè quæ semper vniformia sunt, & regularia. Itèm de inferioribus secundum gradum naturalitatis, non rationalitatis, & libertatis.

In fundamento naturæ nihil est distinctum. *7. Metaph. T. 49.*

PRocedit de fundamento naturæ logicè accepto, non physicè; non enim omnia physicè conueniunt, quæ logicè benè coincidunt, propter genera, & communia superiora. Item totaliter, & sufficienter, minimè partialiter, & radicaliter, quòd dicunt Alij inadæquatè, Alij inchoatiuè, vide infrà de pura potentia lit. P.

Infinitum est, quo non est dare maius. *1. Cœli T. 130.*

AD vnguem verificatur, dùm in infinito consideratur id, quod est potentia, non quod est actu. Itèm valet in

in illo ordine in quo eſt infinitum, non extrà illum. Rursùs formaliter, non materialiter: Sic de infinito ſimpliciter, non ſecundum quid.

Infinitum nequit per menſuram definiri. *3. Phyſicor. T. 34. & 1. Cœli T. 130.*

PRocedit de menſura per modum numeri, & quantitatis dimenſiuæ, non per modum vnitatis, ſiquidèm tali modo æternitas, & Æuum ſunt menſuræ, & menſuræ infinitæ. Amplius per menſuram certam, & definitam, vt per bicubitum, tricubitum, &c. non per menſuram ſemper durabilem, qualem exiſtimauit Ariſtoteles tempus. Item geometricè, hoc eſt à menſura determinata claudi, & metrum pati, non logicè tantùm.

Infinitum non poteſt eſſe ex principio aliquo. *3. Phyſ. T. 30.*

VAlet probabiliter, non neceſſariò. Item de principio magnitudinis (quod quantitatis principium dicitur à D. Thoma 3. citato lect. 6.) non originis, & ideò Mundus, licet infinitus ab Ariſtotele dicatur, tamen ab aliquo principio efficienti, putà à Deo creante eſſe dicitur, vt infrà.

Infinitum quoddam totum eſt. *3. Phyſ. T. 65.*

CErtum manet ex qua parte actu eſt, non ex qua potentia eſt, nàm ſic habet rationem partis, non totius; ſiquidèm materia, cuius rationem habet infinitum, comparatur ad totum, vt pars. Item de abſoluto, & ſimpliciter; non de ſecundum quid, aut ſyncathegorematico, quod cum ratione

totius

totius, quod cum perfecto coincidit, *ex* 3. *Phys. T.* 64. remouetur.

In genere latent æquiuocationes. 7. *Phis. T.* 31. & 2. *Post. T.* 22.

INtelligitur de æquiuocationibus physicis, & proximis, non logicis; Cùm enim genus non sit simpliciter vnum, quoniam non sumitur ab vltima forma reali, vt faciunt species, propterea cùm sub genere sint istæ variæ formæ, & species, varijsq; modis prædicentur, dicitur in genere logico latere æquiuocationes, non autèm in physico: Vide Alamanium in Prædicab. Porphyrij q. 8. art. 2.

Alam. in Præd. Por. q. 8.

SKOLION. Simpliciter vnum in præsentiarum dicitur, quod est vnum physicè, & tale porrò non est genus, vt habemus ex D. Thoma 7. Phys. lect. 8. sed logicè solùm, hoc est per rationem, quemadmodùm 2. *Post. T.* 27. appellat Arist. ipsum vniuersale; Species verò, cùm sit vnum quòd logicè, & physicè, & sumatur ab vltima forma, putà ab extrema differentia, ens vnum simpliciter dicitur.

D. Tho. 7. Phys. lect. 8.

In habentibus symbolum facilior est transitus. 2. *de Generat. T.* 25.

SIc vsurpatur, vt minor sit resistentia in illis, non autèm, quia aliquid corrupti remaneat in genito *ex* 1. *citato T.* 23. Item ob primas dispositiones facilè introducibiles, non propter formam solùm: Item facilior transitus accidentalis, & penès accidentalia, non substantialis, &c.

In illis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſi vnum eſt intentùm à natura eſt, & reliquum. 2. *Cœli T.* 41. & 1. *Topic. cap.* 13.

CVrrit de illis, quæ ſic ſunt eiuſdem ſpeciei, vt etiam ſint earundem diſpoſitionum, aliter non, quoniam diſpoſitio poteſt eſſe cauſa, vt vnum ab inſtituto Naturæ tollatur; quapropter etiam ſi homo monſtruoſus ſit eiuſdem ſpeciei cum homine perfecto, nõ tamen eſt per ſe ille intentus à Natura, benè autèm iſte. Itèm principaliter, at non eodem modo, ob impedimenta, deprauantia fortè vnum, quòd nõ aliud.

In pura potentia non eſt diſtinctio. 7. *Met. T.* 49.

PRodeſt veritati in ſimili ſenſu, vt ſcilicet ipſa potentia non ſit primum diſtinctiuum, & intrinſecum ſumptum ab intrinſeco; benè autèm ſecundarium, & intrinſecum ſumptum ab extrinſeco. Itèm verum de diſtinctione formali, & ſpecifica, non de fundamentali, vt ſupra.

SKOLION. Duplex datur intrinſecum, aliud ab intimis eſſentiæ proueniens, & tale procul dubio non inuenitur in materia, quo poſſit diſtinguere alia, & diſtingui, logicè tamen loquendo, non phyſicè, quia ſic exponitur communiter dictum ſuperiùs huic connexum in fundamento Naturæ nil eſt diſtinctum. Intrinſecum ab intrinſeco eſt aliud, & eſt tale, quod etiam ſi extra ſuam quidditatem trahatur ab alio, tamẽ ſic tenaciter cum illo iungitur, vt euadat illi intrinſecum, quo pacto dicunt Metaphyſici alium terminum relatiuum eſſe de eſſentia alterius, & in hoc ſenſu, contra Egidium de materia Cœli dicunt Thomiſtæ, ac principaliter P. Rubeus, ex Alijs eam ſcilicet à noſtratium materia diſtinctam eſſe. *P. Rub. 1. de Cœlo.*

In quouis genere eſt vna prima contrarietas. *1. Phyſ. T. 50. & 56.*

APprimè verum de contrarietate primarum differentiarum, quæ communis eſt omnibus generibus, non de poſitiua, qualis eſt contrarietas primarum qualitatum, ſeù tertiæ ſpeciei qualitatis, medijs quibus fiunt mutuæ elementorum alterationes, deindè mixtiones, corruptiones, &c. Amplius verum de logica contrarietate, quæ, ſecundum exemplum Porphyrij, à prædicatis repugnantibus exoritur, non de phyſica, quæ cadit in extremis, nullo modo ſe compatientibus, at ſe deſtruentibus ex cap. 1. Poſtprædicamentorum.

In quauis ſcientia ſupponendum eſt, quod dicitur per nomen. *2. Poſt. T. 1. & 1. eiuſd. T. 40.*

VVlt intelligi de nomine, vt quoddam analogum eſt; non vt vniuocum ſolùm. Inſuper de nomine participialiter, videlicet, vt connotat exiſtentiam, non nominaliter tantùm, vt dicitur à Metaphyſicis connotare eſſentiam. Item reſpectu ſui ſubiecti, & principiorum, non aliter.

In nulla definitione debent poni contraria. *6. Topicor. cap. 1.*

SImul, & eodem tempore intelligitur Effatum, non diuerſo tempore, & ſeiunctìm. Cæterùm de contrarijs propriè dictis, non de improprijs, & per antyپariſtaſim ſic vocatis, quo pacto Ariſt. 1. *Phyſ. T.* 44. dicebat media interdum contrariari extremis, quando nempè vnum cum extremo confertur, quia induit rationem alterius extremi, vt viride

cum

cum nigro, quod viride in tali casu, gerit vices albi. Insuper contraria, respectu eiusdem definiti, non diuersorum, aut aliâ ratione sumptorum secundum Alios.

In quouis motu contrarietas est. *3. Phys. T. 10.*

SVbsistentiam habet de contrarietate disiunctìm, scilicet, vel de propria, vel de impropria, non coniunctìm, siuè de propria tantùm: Similiter penès terminos à quo, & ad quem denominantes illum motum, non penès entitatem. Cæterùm de motu propriè dicto, non de mutatione, quæ est motus improprius, vt supra.

In quauis natura, quæ est quandoque in actu, & quandoque in potentia oportet ponere aliquid, quod sit, sicut materia. *3. de Anima T. 17.*

VAlet adæquatè de anima intellectiua, non de sensitiua, siquidèm obiectum sensitiuæ, cùm sit aliquod particulare, nec in sensum, nec in medium imprimit speciem alterius generis, cùm semper in vtroque species sit particularis, & materialis, at intellectus possibilis potest recipere speciem alterius generis, putà species vniuersales, & immateriales; ex quo fit, vt in intelligendo indigeamus intellectu agente, quid non contingit in sensu, de ipso agente, propter quòd rectè concluditur omnes potentias sensitiuas esse passiuas. Item sicut materia, ob indifferentiam, non alio modo.

In quouis genere eſt deuenire ad vnum primum. *8. Phyſ. T. 34. & 2. Met. T. 1.*

VAldè clarum remanet in ſubordinatis, non in alijs, & maximè ſenſu abſoluto; ſiquidèm in Grammatica non eſt deuenire ad vnam primam literam, ſed ad multas primas, quæ non ſubordinantur, ſed æqualiter primæ ſunt, ſicut etiam in naturalibus quatuor ſimplicia corpora æquè prima ſunt, & non dicitur eſſe deueniendum ad vnum determinatum illorum.

In quouis motu non eſt dare primum mutatum eſſe. *6. Phyſ. T. 40.*

SVbſiſtit de motu in cōmuni, quia per Ariſt. *6. citat. T.* 53 omne tempus eſt inter duo nunc, & omnis motus inter duo mutata eſſe, non in particulari; opus eſt enim, quòd in quouis motu particulari detur primū indiuiſibile, cùm eiuſdem rationis ſit inceptio, & terminatio in omnibus cōtinuis, ſiuè permanentibus, ſiuè fluentibus *6. Phyſ. T.* 59. propter quæ Ariſt. non admittit primum mutatum eſſe in motu, benè autem primum indiuiſibile motus. Item reſpectu ſubiecti, non reſpectu termini. Vbi decet notare, quòd licet implicēt duo inſtantia immediata per ordinem ad eundem motum, non tamen implicant per ordinem ad diuerſos.

In qualibet cauſa præexiſtit ſimilitudo effectus. *5. Metaph. T. 2. & 3.*

INtelligitur hoc Effatum per ſe, non per accidens, & propter hoc bonum poterat eſſe cauſa mali, non quidem per

per ſe, cum oporteat cauſam eſſe ſimilem effectui, & è conuersò 5. *Met. T.* 2. *&* 3. ſed per accidens. Item reſpectu naturæ, & ſpeciei, quinimò, & immediatè ſequentium hãc naturam, non reſpectu aliorum.

In ſpecie athoma debet eſſe comparatio. 7. *Phyſ. T.* 24.

INtelligitur de comparatione phyſica, quæ rigorosè vnitatem naturæ requirit, & ſpecies verè natura eſt 7. *Metaph. T.* 43. non de logica, & metaphyſica, cum iſti Scientifici habeant ſolam vnitatem conceptus ſecundum rationem, non vnitatem formæ conſiderare, ſicuti Phyſicus. Item de propria, & vniuoca comparatione, non de impropria.

In ſempiternis caſus eſſe non poteſt. 2. *Cœli T.* 33.

SVbſiſtit, quatenùs in eis non datur aliquid recipere, ad quod non eſſent ordinata, propter quod Cœlum nouam maculam non contrahit, neq; Sol nouos ſplendores, minimè verò in tali ſenſu, quòd vna pars non poſſit aliam impedire; vna namq; intellectio, quantumuis ſpiritualis, poteſt effectũ alterius impedire, exiſtente inconcuſſo Ariſt. dicto 2. *Topicorum capite* 4. multa contingit ſcire, & vnum inteligere. Cæterùm directè, non indirectè, ita Lucius Bellantius in de Veritate Aſtr. q. 2. *Lucius Bell. in de Ver. Aſt. q.* 2.

Intellectus agens non aliquando intelligit, & aliquando ſic, vt poſſibilis. 3. *de Anima T.* 18.

DE intellectu agente, quantum eſt ex ſe, intelligitur, nõ ex parte poſſibilis, qui cùm impleatur per ſpecies intel-

telligibiles à sensibus abstractas non semper intelligit, aptus tamen est semper intelligere ipse agens. Accedit, quòd intellectus possibilis est de potentia in actum deducendus ex 3. *de Anima T*. 4. intellectus verò agens semper in actu ex eodem 3. *T*. 20.

Intellectus agens facit intelligibilia in potentia actu intelligibilia. *3. de Anima T. 18.*

VErum est dispositiuè, non formaliter, quoniam intellectus agens non intelligit, & tamẽ ab actu intellectionis dicitur intelligibile actu. Amplius inchoando, non terminando, cum ipse nõ iudicet quicquam de obiecto, sed solùm illustret phantasmata, nouissimè à sensu percepta, mox ab intellectu possibili intelligenda.

Intellectus agens est à corpore separatus. *3. de Anima T. 21.*

ITa hoc Effatum intelligitur, quòd eius operatio non sit per organum corporeum, vt contingit de sensu, non autèm, quòd sit actu separatus à corpore, habens esse extra ipsum. Item quia in sua entitate potentiæ non est mixtus, aut continuatus cum corpore, ad modum partium quantitatiuarum, non in tota sua perfectione.

Intellectus non est potentia libera, sicut voluntas *9. Metaph. c. 1. & 3. de Anima T. 49. & 50.*

COncipitur verum respectu exercitij, secundũ quod subditur intellectus imperio voluntatis, nõ respectu obiecti, quia sic aliquãdo subditur imperio Naturæ, vt in illis, quæ con-

conuincunt intellectum, & aliquando voluntatem, vt in ijs, quæ non adeò ipsum conuincunt, vt non possit assentiri, & dissentiri ijs, aut saltèm suspendere assensum, quia in similibus, assensus, vel discensus est in nostra potestate, & sub dominio voluntatis cadit.

Intellectus non est singularium. *2. de Ani. T. 60.*

POstulat intelligi de illis singularibus, in quibus natura speciei indiuiduatur per materiam, & quantitatem, nō de illis, quæ absq; materia subsistunt, sicuti, secundum Scotistas, sunt Angeli. Amplius directè, non reflexè. Cæterùm tanquam de obiecto proprio, non improprio, vide infrà literâ S.

Intellectus, qui non est in potentia non cognoscit priuationem *3. de Anima T. 25.*

IN hoc sensu vult accipi, quòd non cognoscit priuationem per priuationem in eo existentem; vndè est, quòd punctus, & alia indiuisibilia per priuationē diuisionis agnoscuntur, & causa est (inquit D.Th. 1. Summæ q. 14. art. 10. ad 1.) quia formæ simplices, & indiuisibiles non sunt actu in intellectu nostro, sed in potentia, benè autèm per habitum oppositam, & sic Deus cognoscit mala, & notitiam habet vitij, ac peccatorum à se puniendorum, & tamen eius Intellectus non est in potentia. *D. Th. 1. p q. 14. art. 10.*

Intelligere est quoddā pati. *3. de Ani. T. 12. & 28.*

DE passione pefectiua vult intelligi, non de corruptiua. Insuper de intelligere, quod est actus potentiæ cogno-

sci-

ſcitiuæ, quæ prius erat in potentia, quàm in actu, non de alio, vt eſt pro certò ipſum Diuinum intelligere ſemper actiuum, & nunquàm paſſiuum. Vlterius in recipiendo, non in terminando; ſiquidèm intelligere, vt eſt iudicare, etiam apud nos actiuum eſt, & non paſſiuum; Vt autèm eſt receptio ſpeciei impreſſæ benè paſſiuum eſt, quia omne recipiens patitur, vt infrà.

Intelligere, & ſentire ſunt quidam motus. *3. de Anima T. 28.*

DE motu lato modo ſumpto curtit Effatum præſens, nō ſtrictò modo; motus enim per ſe, & ſtrictè ſumptus eſt actus imperfecti, ex 4. *Phyſ. T.* 40. & intelligere, ac ſentire ſunt actus perfecti. Item quidam motus ratione realis immutationis, non tranſitus, per quem ab agente aliquod tranſeat in paſſum, vt ſupra. Amplius motus in anima, hoc eſt alterationes, quibus de non intelligente anima fit intelligens, vt ſcribitur *3. de Anima T.* 4. non in toto compoſito, quo phyſicè dictum ſe habeat poſtquàm antè, vt infrà.

Intelligere diuerſificatur ſecundum diuerſitatem rei intellectæ. *3. de Anima T. 35.*

VErum eſt obiectiuè, non eſſentialiter, itaut ſecundum eſſentiam mutetur, & fiat alio modo, videlicet non per phantaſma, nec per ſpeciem intelligibilem. Item quoad iudicium, & aſſenſum, non quoad rem entitatiuè, aut materialiter ſumptàm. Rurſùs quoad actùm particularem, & ſecundum, non primum, & habitualem.

Intel-

Intelligibile quædam est perfectio intelligentis. *3. de Anima T. 13.*

VAlet per inherentiam intentionalem,& ceù per modum formæ, non efficientis, quoniàm, quod non est causa alicuius, neq; perficit ipsum per modũ efficientis;& planè intelligibile non est tale; vndè rectè dixit Themistius 3. de Anima Com. 8. quòd intellectus habens lapidem in esse abstractionis non demonstratur lapideus. *Them. 3. de Anima Com. 8.*

Intellectus, & intelligibile relatiuè refferuntur. *3. de Anima T. 3.*

IN ratione obiecti, & potentiæ intelligitur Effatum, non in valore actus, quoniam nihil intellectus est in intelligibili; benè autèm aliquid eius, quod intelligitur est in intellectu; Itèm non primâ relatione, quæ secundum esse appellari solet, at secundâ, quæ secundum dici inscribitur, & non fit per vniformem flexionem, vt fieri dicitur de prima.

Intra fieri rerum nunc sequitur id, quod fertur. *4. Phys. T. 104.*

VTiquè verum in hoc sensu, quòd sicuti vnum mobile, ea ratione, qua successiuè, & continuò in alia, & alia parte spatij est, possidetq; istud ratione motus, sic existentia ipsius mobilis vna, & eadẽ in vno,& alio momento est nunc, ex cuius fluxu fit tempus, omnibus nunc à nobis designatis, correspondens. Itèm quia sic est diuisibile tempus, sicuti motus, & è conuersò ex *6. Phys. cap.* 2. non alio modo.

Intellectus intelligens maximum intelligibile non quiescit. *3. de Anima T. 7.*

INtelligitur simpliciter, non in aliquo genere; non enim implicat in aliquo aliquid virtutem habere infinitam, & non in alio; sic enim visus aptus est ad colores infinitos videre, & non ad paruum sonum sentire; quod censet simile Diuus Thomas in de Spiritualibus Creaturis art. 10. ad 7. de nostro intellectu, & abstractis à materia, itaut, si sit aptus ad omnia hæc inferiora intelligenda, non sit postea aptus ad superiora: quiescit itaq; respectu alicuius, quod distinctè cognoscit, at non respectu omnium, siuè alterius maximi, quòd confusè tantùm percipit.

D. Tho. de Spir. Creat. art. 10.

Intellectus est, qui facit vniuersalitatem. *1. de Anima T. 8.*

POssidet veritatem in sensu formali, itaut intellectus sit ille, qui formaliter faciat vniuersale logicum per suam abstractionem, non materialiter, cum singularia sint ea, quæ collecta per intellectum componunt materiali modo vniuersalitatem. Vlterius verum in hoc sensu, vt intellectus sit ille, qui facit illam secundam intentionẽ, quæ dicitur vniuersalitas pluribus conueniens, aut per modum generis, aut speciei, nõ fundamẽtaliter, à quò scilicet ista secunda dependet.

Intellectus possibilis est aptus omnia fieri. *3. de Anima T. 4. & 8.*

VErissimum ad intra, & per immanentẽ actionem, non ad extra, & per transeuntem; in intelligendo enim intelle-

ctus

ctus sit res intellecta, per actum dicendi, quo actu etiam Verbum Diuinum à patre productum fuisse asserunt Theologi in 1. Senten. dist. 12. Cæterùm intentionali, & spirituali modo, non materiali.

Intellectus speculatiuus per extensionem fit practicus. *3. de Anima T. 46.*

Requirit, vt intelligatur, quatenùs superadditur obiecto suo aliqua ratio, putà vtilis, honesti, delectabilis, &c. non per aliquam extensionem quantitatiuam, quæ molis dicitur, quandoquidèm, quod non est quantum, neq; sic extendi potest, & talis est intellectus. Item ex vnione plurium actuum, qui ad praxim, & exprimentũ necessarij sunt, non per distractionem aliquam partium, vt contingit physicis rebus.

Inter contradictoria nullum datur medium. *In Post Cathegorijs capite de Oppos. & 10. Met. T. 13.*

De veris, & realibus contradictorijs subsistit Effatum, quæ .s. existunt; quoniam totaliter, vel forma, vel negatio formæ est de essentia subiecti; quocircà non sequitur Natura iuxta essentiam suam non est diuisa, ergo indiuisa, minimè de apparentibus contrarijs; aut quæ nondùm existunt. Item subsistit de medio reali, non rationis; sic enim multi interpretãtur aliud dictum Philos. *in 1. de Interp. cap. 5.* putà inter affirmationem, & negationem non esse medium, cum cõtradictoriè opponantur; inquiunt enim, quòd formalitas aliqua mediare potest, & quòd solummodò mens Aristotelis est, quòd inter affirmationem, & negationem non datur medium, quod sit propositio vera, vel falsa; sed infrà.

Inter duos motus rectos est quies media. *8. Phys. T. 65.*

VVlt intelligi de quiete impropria, quæ momentanea est, & propter solam distinctionem physici motus à violento, non de propria, quæ tempore mensuratur. Addunt Alij intelligendum esse Effatum de quiete negatiua, non positiua: Insuper de fluenti, non de permanenti; de mixta ex naturali, & violento, non de naturali tantùm.

Inter bonum, & malum non cadit medium. *5. Metaph. T. 2. & 3.*

COhæret veritati de malo, & bono transcendentaliter, non moraliter sumptis. Insuper de medio per participationem, non per abnegationem; potest enim dari homo, qui non simpliciter sit bonus, neq; simpliciter malus, sed in aliquo bonus, & in aliquo malus, quæ tamen non est natura medij per participationem. Vbi iuuat breuiter notare, quòd etiamsi ens sit bonum, vt ens, non tamen omne non ens est malum; siquidèm non habere oculos saxo non est malũ, licet sit priuatio alicuius boni.

In tempore, & motu non est dare primam partem. *6. Phys. T. 48.*

FAmulatur vero de tempore, & motu generaliter, & secundum se, nõ particulariter, & quoad nos; datur enim primus motus noster, & primum vitæ nostræ tempus, quod Græci apotelesma dicunt, hoc est vitæ initium. Item illo modo, quo datur in permanentibus, sed dessignatiuè solùm, & per conceptum nostrum.

Inter substantiam, & accidens nullum cadit medium. *11. Metaph. cap. 1.*

STat certum de accidente prædicamentali, non prædicabili. Similiter de accidente communi, non proprio, & ab intrinseco, quod aliquo modo potest dici medium, cùm supra se habeat substantiam, & infra se accidens commune, & separabile. Amplius de medio proprio, & adæquato, non de improprio, & intentionali, quod .s. quoad entitatem est accidens, sed quoad modum, substantia, vt supra.

Inter indiuidua non est dare prius, & posterius. *3. Metaph. T. 11.*

PRocedit in ratione naturæ, non indiuiduali tantùm; in indiuiduis namq; humanis vnum, indiuidualiter sumptum, esse perfectius alio, & prius patet, at non in Natura: Cæterùm valet de prioritate perfectionis naturalis, non moralis, a it similis alterius generis. Item in constitutione speciei, quæ, vt æterna habetur, non ratione propriæ existentiæ; constat enim patrem meum prius me extitisse.

Inter idem, & diuersum nullum medium est. *9. Metaph. T. 4.*

COnsonum veritati est de ijs, quæ existunt, non in omnibus indifferenter, tàm realibus, quàm rationalibus. Chymera namq; cum homine non est idem, neq; ab eo diuersa, siquidèm diuersitas est relatio realis, quæ postulat extrema realia: Modò constat inter chymeram, & hominem hanc non esse, cum chymera omninò ens rationale sit.

In

In quocunq; quod mouet se ipsum est mouere, & moueri. *8. Phys. T. 27.*

Germanum habet sensum de libertate antecedenti eius, qui ita mouet, non de consequenti: Insuper verum de voluntariò, secundum quòd opponitur violento, non secundum quòd à voluntate dicitur; stat enim Bruta mouere se, & tamen non habent voluntatem cum vsu liberæ electionis, sicuti habent homines, propter quòd dicunt Metaphysici id, quod voluntariũ est in hominibus, in Brutis spontaneum esse.

Inter illa, quæ subitò fiunt, habetur simul fieri, & factum esse. *7. Phys. T. 10.*

Valet de fieri improprio, non proprio, quandoquidèm fieri propriè intelligitur de re, quamdiù durat motus, cuius terminus est rei generatio, & motus propriè non est in instanti. Amplius simul est secundum sensum, non secundum intellectum, qui commodè distinguit instans ipsum temporis in plura Naturæ, &c.

Intus existens prohibet extraneum. *3. de Anima T. 4.*

Conceditur de abstracto specifico, non generico, Itèm subiectiuè, non obiectiuè; sunt enim res spirituales, quæ recipiuntur in potentijs absq; expulsione alterius; quocircà species sonoræ in aere non expellunt visibiles; nequè species memoratæ plurium obiectorum impediunt nouas, quæ quotidiè per studium acquiruntur. Insuper in quantitatiuis, non in spiritualibus, & moralibus.

Ipsa

Ipsa quæ incorruptibilia sunt, non incæperunt esse. *1. Cœli T. 120.*

VErum est per modũ naturalem, quo. s. pacto generabilia, & corruptibilia incipiunt, non simpliciter, quasi improducta omnia sint; etenim ab agente improducto existentiã habuerunt, & modo superiori, ac ipsa corruptibilia, ita Alamanius ex mente D. Th. 2. 2. q. 26. art. 1. *Alam. 2. 2. q. 26. ar. 1.*

Ita se habet punctum in continuo, sicuti in numero vnitas. *1. Topic. cap. 14.*

ANcillatur vero, quoad indiuisibilitatem partium, non quoad positionem; vnitas enim multiplicata facit quãtitatem discretam, & proindè multitudinem, punctus verò vnionem, & stationem; non vt pars, eius ex *6. Phys. T.* 3. sed vt terminus; hinc est, quòd ab Arithmeticis, & Geometricis in punctis admittitur ante, & retro, prius, & posterius, minimè verò in vnitatibus. Itèm ad inchoandum, non componendum per se.

Ita se habet sensus ad sensibilia sicut intellectus ad intelligibilia. *3. de Anima T. 3.*

VAlet in ratione susceptiui, quia vterq; recipit patiendo, & species absq; materia recipiendo, non in forma, & modo, siquidèm sensus recipit species particulares, aut particulariter repræsentantes, non verò intellectus, vt supra. Item in immutatione, quia vterq; de potentia, medio obiecto, & specie eius, transfertur in actum, non in iudicando, & operando.

In

In voluntario Pueri, & Bruta communicant. *3. Ethic. cap. 12.*

ACcipitur verum de voluntario ſecundum quòd opponitur ipſi violento, nàm ſpontè faciunt, quod faciunt, non vt dicit vſum liberæ electionis. Pariter verum de pueris ante vſum rationis, & adhuc in pubeſcentia, non cum vſu rationis, & poſt pubeſcentiam, quia tunc, & reſpectu actus primi, & actuum ſecundorum à Brutis quàm maximè diſtant.

L

Laborioſi citius ſeneſcunt. *In de longitudine, & breuitate vitæ. Cap. 3.*

CÆteris paribus intelligitur Effatum; exſiccat .n. labor, vt dicit ibi Philoſophus, & ſenectus ſicca eſt, non verò cæteris imparibus. Similiter in maſculis eiuſdem ſpeciei, non in fœminis; vndè clarè Ariſtoteles exemplum dat de Paſſeribus inquiens Paſſeres maſculos breuioris eſſe vitæ ipſis fœminis, quoniam à temperie recedunt calidi, in quo vita eſt, dum per frequentem coitum ſalaces effecti in prauam ſiccitatem ruunt, quòd non contingit fœminis frigidioribus, & ideò ſiccitati magis reſiſtentibus.

Lac ſanguis bis coctus; alter textus concoctus; alter corruptus, eſt. *4. de Gener. Animal. cap. 8.*

INititur vero materialiter, quatenùs eſt eiuſdem ſubſtantiæ, ac eſt ſanguis, non formaliter; in multis ènim (etiam proprijs) à ſanguine differt. Cæterùm per excluſionem alte-

rius

terius humoris, putà excrementosi, fœculenti, & seminis, *ex 4. de Gener. Animal. cap.* 5. non chyli, qui inchoatiuè est sanguis; Opinantur enim (nec eminùs à vero) Anatomici per ramusculos paruos à ventriculo ad mammas chylum vehi, & inibi concoqui, sicq; lac euadere: Itèm arguitiuè, quia lac dulce est, sicuti est sanguis, sed crassius illo, & per Aristotelem 4. *Metheor. cap.* 3. cocta crassiora, & dulciora sunt non coctis; minimè absolutè, aut ex totali corruptione posthabitū.

Lapis non est in anima, sed species, & forma lapidis. *3. de Anima T.* 38.

PRocedit de forma lapidis intentionali, & obiectiua, non de reali, quæ non potest esse à lapide diuisa. Itèm clarius secundum existentiam obiectiuam, quæ est ipsa speciei præsentia, non secundum realem, & subiectiuam; vide infrà lit. R & V.

Lationi in orbem nulla est alia contraria. *1. Cœli T.* 24.

INtelligitur super idem centrum, & sub jisdem polis, non sub diuersis his, aut super diuersos axes. Amplius intelligitur simpliciter, non secundum quid. Pariter aliâ alterius speciei subalternæ, non eiusdem; vndè videmus vnam rotam horologij ad oppositum terminum cieri, ac voluatur altera; vide supra lit. C.

Linea ex punctis esse non potest. *6. Phys. T.* 1.

APprobatur, tanquàm ex componētibus principijs, quoniam nullum continuum (vt ibi habetur) est ex indiuisibi-

fibilibus; minimè tanquàm ex terminis. Amplius non ex punctis, tanquàm ex partibus sibi debitis, benè autèm, tanquàm ex vnientibus, & complentibus.

Loca naturalia mixtorum elementa sunt. 2. de Ortu T. 49.

CVrrit, vel simpliciter, vel secundum quid, non simpliciter tantùm; etenim pro quibusdam mixtis est aer; pro alijs est ignis, vt vapor; pro alijs aqua, & pro omnibus generaliter terra, sic dicente Philos. *in Paruis naturalibus*. Cæterùm de mixtis perfectis, & ratione prædominij eorundem, non de imperfectis, & alio modo consideratis. Addunt Alij in resolutione, & gratiâ ordinis Vniuersi, nō sub propriâ forma, cùm contingat mixtum vnum esse locum alterius.

Localis motus omnium perfectissimus est. 8. Physicor. T. 55.

GErmanum habet sensum in comparatione ad omnes illos motus, qui ad accidens habent terminare, & propriè motus dicuntur, vt sunt alteratio, auctio, diminutio, &c. non de alijs, vt est generatio substantialis, & secundum alios ipsa mixtio. Item ratione suæ vniuersalitatis, quia communissimus est, & necessarius, non aliâ ratione, siuè absolutè.

Loci differentiæ sunt sursùm, & deorsum. 4. Physicor. T. 42.

DE loco secundum esse formale intelligitur, quo pacto volunt multi cum Vbi coincidere, non de materiali, quomodo ab Vbi ipsum seiungunt, & in isto sensu graues In-

ter-

terpretes respondent illi obiectioni, quâ dicitur differentias debere esse in eodem prædicamento, cum eo, cuius sunt differentiæ, & quòd sursùm, & deorsùm sunt differentiæ de Vbi, & non loci, qui est quātitas; gratis enim asseritur esse de Vbi, cùm de quantitate hac, quæ est locus materialis, verificētur, seu licitū sit dicere esse de Vbi formali, & de loco materiali.

Locus æqualis est locato. *4. Phys. T. 42.*

IN confessò est de æqualitate continentiæ, aut superficiei ambientis, non de æqualitate quantitatis dimensiuæ, quæ est secundum omnes tres demensiones, longitudinem .s. latitudinem, & profunditatem; sufficit enim locato locari secundum eas superficies, quibus locabile est; sed quia non est locabile secundum profunditatem, vt putà impenetrabile, proptereà locus non æquatur ei, nisi secūdum longum, & latum, profunditate exclusâ. Prætereà verum ex parte formæ, non ex parte virtutis, quoniam locus secundum virtutem, etiàm profunditatem amplectitur, siquidèm terminat eam, & intra suos limites continet. Tandèm de proprio, & adæquato loco, non de communi, & inadæquato, siquidèm iste secundum habitum totum locatum non continet.

Locus habet vim conseruatiuam locati. *4. Phys. T. 48. & 49.*

SVam possidet veritatem de loco proprio respectu sui determinati locati, non de loco communi. Cæterùm de virtute conseruatiua proportionali, non de totali, quam solus Deus habere potest; hinc videmus plantas in terra, pisces in mari, perire quidèm, & mori, sed difficilius ibi, quàm extra.

Locus immobilis est. *4. Phys. T. 41.*

SYncerè intelligitur de immobilitate secundum speciem, non secundum numerum; etenim ordo, quem dicit ad polos mundi, & centrum terræ est idem identicè, & specificè, non indiuidualiter, alioquin dicendum foret omnia esse in eodem loco. Item immobilis est, secundum suum formale, non secundùm materiale; stipiti enim alligata nauis, secundum Aristot. in dicto 4. *T.* 40. potest varia loca materialia mutare, nunquàm tamen formalem, cùm semper æquè distet à polis mundi, & à centro terræ.

Locus naturalis alicuius corporis est, ad quem corpus ipsum naturaliter fertur. *4. Phys. T. 48.*

VAlet quà ratione locus vim formatiuam, & conseruatiuam locati habet, nō quà ratione superficies est. Item ratione ordinis situs, quem habet ad primum continēs; prout s. magis, & minus ei appropinquat, iuxta quem ordinem situs, graue est magis elongatum à Cœlo, & leue approximatum; non actualis circumscriptionis.

Locus partium, & totius idem est. *1. Cæli T. 19. & 2. T. 34 48. & 92.*

POstulat intelligi de loco secundum speciem, non secundum numerum. Amplius de loco communi, non de proprio; siquidèm locus proprius est æqualis locato, pars autem non est æqualis toti. Rursùs de loco secundum partes conseruatiuas, non secundum quantitatem; cùm enim totum sit maius suâ parte, vt infrà, ex 1. Euclidis petitione 9. porrò nec æqualem, nec eundem cum parte occupare poterit locū.

Euclid. 1. Geo.

Accedit, quòd pars, cum verè est vnita toti, est purè in loco potentiâ, & totum, actualiter; ambo tamen conseruantur, & analogicè ab ijsdem qualitatibus ex 4. *Phys. T*. 48. & sequêtibus duobus.

Lumen species ignis est. *Lib. de Colorib. cap*. 1.

VAlet in propria materia, quemadmodum ignis in aerea dicitur flamma; in terra, carbo, &c. non extra eam, alioquin cum ignis sit corpus, & substantia, lumen esset corpus, & substantia, quòd repugnat eidem Arist. 2. *de Anima T*. 69. dicenti lumen qualitatem quandam, & actum perspicui: Item reductiuè, & impropriè, non formaliter, & propriè, ita Iacobus Carpentarius in Alcin. cap. 10. *Carpen. in Alc.*

M

Magis denominatur aliquid per id, quòd ei conuenit per se, quàm ab eo, quod ei conuenit per accidens. 7. *Metaph. T*. 16.

SVbsistit de conuenientia per se positiua, non priuatiua, quæ etiam dicitur remotionis, siquidèm non raró fit denominatio per remotionem eorum, quæ apta nata sunt inducere dispositionem contrariam, quo pacto vnitas attribuitur materiæ primæ ab Arist. 1. *Physic. T*. 56. putà, non per positionem alicuius formæ vnitatis, sed per remotionem formarum diuersificantium. Item cæteris paribus, & per eam denominationem, quæ naturam specificam habet significare, non imparibus, & aliâ quauis denominatione.

Ma-

Magis, & minus non variāt speciem. *3. Cœl. T. 72*

INtelligitur verum ex parte materiæ, non ex parte formæ, cùm enim hæc consistat in indiuisibili (eò quod formæ rerum sunt sicut numeri 8. *Metaph. T.* 10.) fit, vt variatio secundum istam sit specifica. Amplius intelligitur secundum, quòd magis, & minus causantur ex intensione, & remisione vnius formæ, non vt causantur ex formis diuersorum graduum, quo pacto Natura ipsa procedit à plātis ad Bruta, & à Brutis ad rationalia, & propriè Arist. intelligendus est in habentibus formam sub quadam latitudine, vt est albedo; vnde magis, & minus album; magis, & minus frigidum suam speciem non variant.

Magis, & minus ex admixtione fiunt contrarij. *5. Phys. T. 19 & 2. Cœli T. 37.*

VErificatur de mixtis habentibus contrarium positiuum, non de simplicibus, & quæ carent contrario positiuo; quocircà lumen intenditur, & remittitur, & tamen non ex admixtione positiui contrarij, quòd non habet. Similiter vnū elementum respectu alterius potest esse remissum in vna qualitate, & sine commixtione contrarij *ex 2. de Generat. T.* 22. & ideò propter appropinquationem, & remotionem ab eodem fit in similibus intensio, & remisio; hinc Philos. 2. *Cœli T.* 93. dicebat motum Cœli propinquitate largiri caliditatem, leuitatem, & motum. Tandèm in naturalibus solis, non in moralibus.

Magis

Magis, & minus tale reducuntur per reductionem ad summum tale. 2. *Met. T. 4.*

STabilem habet veritatem in effectibus positiuis, non priuatiuis, aut defectiuis, & ratio à priori videtur esse, quia vnumquodq; reducitur in causam suam, eo modo, quo procedit ab ea; effectus autem positiui habent causam positiuam positiuè influentem, quocircà positiuè reducuntur in eam; priuatiui verò, causâ istâ positiuè influente carét, & ideò non oportet reduci in suam primam; hinc est, quòd in malo non datur status secundum Theologos, quemadmodùm in bono.

Maiorum non est laus, sed honor. 1. *Ethicorum cap. 12.*

NEgatiuè solùm intelligitur de laude, non priuatiuè, nàm cuicunque conuenit cultus honoris, etiam laudis opus est, quòd conueniat, vt inclusæ in honore, sed non tantùm laus, hoc est propriè, cùm propriè honor eos deceat, excedentes scilicet meritum solius laudis.

SKOLION. In hoc differt laus ab honore, iuxtà Philosophum nostrum, quòd dignioribus honor datur, vt putà Deo, & propinquis illi substãtijs, propter bonum supremum, quod referunt; laus autem rebus minoris æstimationis, quia scilicet non includunt supremum bonum; vndè laudare possumus aurum, gemmas, equos, &c. sed non honorare, cùm hæc non sint superioris excellentiæ, nec capacia virtutis, in quâ excellentiâ, cum superemineat Deus maximi honoris, etiam solus est.

Malum non habet materiam. 2. *Magnorum moralium cap. 14.*

VErum est de materia ex qua, non in qua, quæ est ipsum bonum, semper enim malum in bono est, tanquàm in subiecto; non positiuè quidèm, sed priuatiuè, eò quòd nil ponit in bono, sed tantummodò remouet perfectionem bono debitam; vndè est, quòd solùm per accidens malum destruit suum subiectum, non formaliter, & ideò tenebræ destruunt bonitatem luminis, non perfectionem ipsius aeris, in quo subiectiuè sunt.

Malum non intenditur à Natura. 2. *Cæli T. 34.*

PRrimariò, & per se vult intelligi, non secundariò, & per accidens: Insuper de malo reduplicatiuè, scilicet sub ratione mali, non sub ratione boni, vt sæpè accidit (saltem in ratione apparentiæ) & propter hoc, si corruptio aliquando ab Aristotele vocatur mala, & aliquando bona, intelligitur quòd primariò, & per se non sit bona, sed benè secundariò, cum primariò intendatur generatio, & concomitanter corruptio, ex eo, quòd generatio vnius est corruptio alterius, & è contrà 1. *de Ortu T.* 17. Sic actu, nō potētiā; directè, nō &c.

Manente eadem re nequit fieri mutatio veritatis circa eam. 1. *Perihier. cap.* 5. & 6.

QVantum ad essentialia, & intrinseca ratum, & firmum manet, non quantum ad accidentalia, iuxta quæ contingit frequenter veritatem rei, & enunciationis mutari.

SKOLION. Essentialia alicuius, in hoc loco, sunt ea, ad quæ

signi-

significanda est instituta enunciatio; Accidentalia verò, quæ non; vndè quia hæc facillimè tolluntur, sic etiam facilè enunciatio, de vera in falsam transmutatur, propter quòd *1. de Interpretatione cap. 6.* in fine dicebat Aristot. viuente Platone verum esse Socratem epulari, sed mortuo, minimè.

Masculinum, & fœmininum non diuersificant speciem. *10. Met. T. 25.*

VAlet Effatum de diuersitate specifica subiecti, non generis tantùm, nàm non est necesse ad contrarietatē, quam induunt masculinum, & fœmininum, quòd diuersificent speciem subiecti, siquidèm, & videmus contraria priuatiua hoc non facere, quoniam ea sunt, quæ sunt apta fieri circa idem, vt supra. Itèm ex se, quia sunt supra speciem, & materiam insequuntur, minimè formam, vt debent esse differentiæ, quę specificum esse constituunt.

Materia causa est pluralitatis, & conuenientiæ. *12. Met. T. 49.*

REctè intelligitur de pluralitate, quæ dependet à numero quantitatiuo vnito ipsi materiæ, non de ea, quæ est à numero transcendentali, & positiuo, qui est à forma, estq; numerus rerum, & specierum: Insuper respectu naturalium, & artificialium simul, non naturalium tantùm. Rursùm de conuenientia generis, & pluralitate numerica, non de specifica.

Materia, & priuatio sunt vnum numero. *1. Phys. T. 60.*

INtelligitur verum de vno subiecto, quoniam, & accidens proprium, & subiectum identificantur ex 2. *Topicor. cap.* 1. non de vno per rationem, siuè vno vnitate formali; imò secundum Alios, nec specificâ; siquidèm numerica identitas, eò tunc arguit specificam, quando nexus est per se, vt inter hominem, & animal, non per accidens, vt quando dicitur homo albus, & realis fit inter materiam, & priuationem, quæ ratio est, vt materia semper subiectiuè maneat vna numero, non sic verò priuatio.

Materia formam appetit. 1. *Phys. T. 80. & 81.*

VVlt hoc intelligi immediatè, non mediatè: Insuper de naturali appetitu, non de alio; quapropter ad desiderandam formã cogitur à Natura, ne maneat imperfecta sub illa appetibilitate, nunquàm interpollata, aut impedita, cùm Natura non frustretur in suis operibus, vt suprà. Item indistinctè, & generaliter, non particulariter, quia vt appetat hanc, vel illam, causa est ipsa priuatio, dicente Philosopho 1. *Phys. T. 66.* Amplius formam, vt possibilem naturaliter sibi vniri, non præteritam, nisi vt bonum absens, quemadmodùm infrà dicetur.

Materia ingenerabilis, & incorruptibilis est. *1. Phys. T. 82.*

POstulat intelligi de generatione propria, quâ fit transitus de non esse ad esse, & quâ fit resolutio vsq; in primum subie-

subiectum commune est *ex* 1. *de Ortu* T. 21. non de impropria: Insuper de materia prima sola, quæ 1. *Phys.* T. 82. definitur primum subiectum ex quo inexistente fit aliquid, cùm insit, & in quod, quæ pereunt resoluuntur, non de secunda. Vlterius per se, non per accidens.

Materia negatione cognoscitur. *10. Met. T. 24.*

APprimè verum de materia prima, & cōceptu eius adæquato, non de secunda, & conceptu primæ inadæquato. Item propter priuationem sibi connexam, non quia ipsa positiua non sit, ac ens reale, suâ realitate cognoscibile.

Materia prima est vna numero omnium generabilium, & corruptibilium. *8. Met. T. 11.*

SPecificè, & subiectiuè intelligitur, non formaliter, itaut sensus sit, quòd vna sit species, & natura materiæ, veluti vnum abstractum omnia inferiora cōcreta denominans, non vnitate concretè reduplicata. Item secundum Iandunum vna numero negatiuè, quia non est magis sub hoc esse, quàm sub illo, nec ordinata magis ad hoc, quàm ad illud, nō priuatiuè. *Iandun. 1. Phys.*

Materia quodammodo pars speciei non est. *7. Met. T. 34. & 8. eiusd. T. 12. & 14.*

COmparatiuè hoc intelligendum est, quià magis proprium est formæ, non autèm, quia non sit pars compositi, quod in se inuoluit speciem, & naturam: Insuper de parte principali, alteri coæquali ad componendum, non de minus principali, magis altera indigente.

Materia scibilis est per abnegationem formarum. *10. Met. T. 24. & 1. Phys. T. 69.*

VAlet de conceptu metaphysico materiæ, non physico, quia sic melius cognoscitur per analogiam ad formas, iuxta Aristotelem *1. Phys. T. 69.* aut per subiectum commune primæ contrarietati necessarium, ob perpetuam rerum transmutationẽ, vt in *1. dicto T.* 53. asserit Philosophus. Cæterùm de materia prima, & conceptu eius proprio, quatenus principium distinctum ab alijs, non de improprio, &c. A

Materia vna, & eadem amittit, & acquirit quantitates varias. *1. de Gener. cap. 1. T. 20. & 29.*

INte ligitur de materia vna numero negatiuè, vt supra, non positiuè, quoniam materia, ex quo diuersas quantitates recipit, recipit etiam diuersas formas, nàm quantitas accidens est, & accidẽs non acquiritur sine subiecto, quod subiectum formam importat; vndè contingit illam mutari, & penès formam, & penès quantitatem. Item sub motu augmenti, respectu quantitatis numericæ, non specificæ.

Mathematicæ carent fine. *3. Metaph. T. 3.*

SEcundum D. Thomam valet de fine mouente, non de fine, vt simpliciter finis, & terminus est; cùm enim Mathematicæ abstrahant à materia, & à motu, etiam abstrahere ꝑ fine opus est, vt supra tactum fuit literâ B. Item à fine acquisibili per motum, non ab excludente bonitatem, & termini rationem.

Ma-

Materiæ conuenit pati,& moueri. 2. de Gen. T. 53.

VErum est, quatenùs agere præsupponit esse,& actu esse; materia autem non est actu. Item quia sola materia recipit,& transmutatur; recipere autem est pati, vt edocet Aristoteles 3. *de Anima T.* 4. non quiá ipsa sola patiatur actus secundos, qui sunt operationes; siquidèm operationes sunt suppositorum, vt supra, & ipsa sola suppositum non est.

Maximis bonis nullus malè vtitur. *6. Eth. c. 9.*

INtelligitur de maximis bonis obiectis, quoniam talia sunt maximè appetibilia,& ideò à nullo odibilia; nõ de bonis participatis, & propter hoc,quia Virtutes naturales, & diuitiæ non sunt maxima bona, in ratione obiecti potest aliquis illis malè vti. Item de maximis bonis bonitate vltimatâ, & consumatâ, non de alijs sic creditis, & excogitatis. Insuper quia, quà maxima, non permittunt allici ab inferioribus, & apparentibus, non &c.

Maximè vniuersalia sunt difficillima cognitu. *1. Metaph. cap. 2. in principio.*

INconcussæ est veritatis respectu nostri, non respectu naturæ ipsorũ.Item quantum ad inuestigationem passionum, & causarum eorundem,non quantum ad simplices terminos. Tandem de cognitione distincta,& in præsenti statu, non de confusa, & de illâ, quæ habetur post separationem animæ à corpore; tunc enim sine phantasmate intelligendo, ipsa, vt proportionata obiecta, habet.

Me-

Medium æquè distat ab extremis. 2. Ethicorum cap. 6.

PRæcisè valet de medio inter terminos motus, non de medio, quod est inter agens, & patiens; cùm enim illud importet naturam instrumenti, & instrumentum quandoque sit propinquius primo agenti, & quandoq; patienti, sic quoque medium, quod est forma, quâ agens agit semper est propinquius agenti, vt in *quo*, & patienti secundum similitudinem, & vt *ad quod*.

Medium nobilius est extremis. 2. *Ethic. c. 7.*

VAlet adæquatè in moralibus, deindè in ijs, quæ physicè componuntur, vt sunt mixta ex elementis, non respectu loci, vndè aer, & aqua non sunt nobiliores igne. Amplius de medio congruentiæ, vt est pulchritudo respectu decentis Matrimonij, sicuti supra, non de medio essendi. Cæterùm de harmonico, non Arithmetico simplici, seù præsuppositionis, vt est quantitas inter formam, & materiam. Tandem de medio, *quo*, non *quod*.

SKOLION. Medium *quo*, rectè virtutis dictum, est illa forma, quâ agens agit, vt calor inter ignem, & aerem calefactum. *Quod* postea est ipsum, quod interponitur, tanquàm suppositum interceptū inter agens, & patiēs, vt suprà literâ. A.

Medium participat naturam vtriusq; extremi, & de nullo eorum prædicatur. 10. *Met. T. 23.*

SVbsistentiam habet de medio materiali, vt est tepor inter frigidum, & calidum, non de logico, siquidèm huic medio

dio sat est participare naturam superioris: Amplius benè subsistit de illo, quod æquè distat ab extremis, & nullo modo rationem extremi habet, vt contingit, quando vni tantùm extremo comparatur, vt habemus ex Philos. 5. *Phys. T. 6.*

Medium quoduis, & extremum, nedùm numero, at specie differunt. *2. Ethic. cap. 6. & 7.*

VAlet formaliter, & reduplicatiuè, non materialiter, quia vt dicit Aristot. 1. *Phys. T.* 44. interdum mediũ, vnum extremum esse potest. Itèm de medio, in quo sistitur, non in quo fit vlterior transitus ad extremũ, & dicitur via; isto enim casu fit vnus numero motus, quòd euidenter patet in appetitiuis, nàm quando voluntas mouetur in id, quod est ad finem, cum ordine ad ipsum, est vnus solũmodò appetitus, & motus.

Melius est, quod omnes appetunt, quàm quod aliqui tantùm. *3. Topic. cap. 1.*

POrrò simpliciter est verum, non secundum quid. Itèm naturali, & debito appetitu, non alio. Rursùs extensiuè, non intensiuè, ita vt facilius sit dicere illud esse bonum, & rationem finis habere, quod appetunt omnes, quàm quòd aliqui solùm, aut pauci.

Mensura est eiusdem generis cum mensurato. *10. Met. T. 2.*

VErificatur de propria, & immediata, vt est temporis tempus, motus, alter motus, non de remota, & mediata. Amplius valet de genere mensurationis, non de genere prædicamentali; vndè motus primi Cœli, licet nõ sit eiusdem

ge-

generis cum Cœlo, quòd est substantia, attamen est eiusdem secundum cõmensurationem, vt latè 5. Phys. per totum docet Aristoteles.

Mensura est perfectior mensurato. *10. Met. T. 3.*

PRobè intelligitur in genere cognitionis, cùm debeat esse notior ipso mensurato dependente ab illa, non in genenere Naturæ, & entitatis. Itèm de perfectione secundum quid, & in genere determinato, non omnimoda, & simpliciter. Amplius de mensura vniuoca mensurato, non de alia; quocircà impropriè loqueretur, qui diceret tempus esse mensuram animalium, & substantiarum corruptibilium, & ideò perfectius illis, cùm nullum accidens sit substantiâ perfectius *ex 6. Metaph. T. 4.*

Mensura est realiter distincta à mensurato. *5. Metaph. T. 20.*

DE mensura extrinseca hoc debet intelligi, non de intrinseca, & propter hoc, cùm tẽpus sit talis mẽsura motus, ab ipso distingui necesse est. Amplius valet in eo, quòd relatiua sunt, non propter alia. Cæterùm de actiua, non de passiua.

SKOLION. Duplex est mensura, alia intrinseca, quæ à propria rei substantia dependet, vt quæ genita sunt sub tempore, tempore mensurentur; alia extrinseca, & est per comparationem alterius taliter se mouentis, & ista est, quæ realiter à mensurato distincta ab Aristotele dicitur, siquidèm extrinseca ab intrinsecis realiter distinguuntur, quemadmodùm vinum à ligno externè circumambiente, ipsum optimè distinguitur.

Men-

Menſura eſt homogenea menſurato. *10. Metaph. T. 4. & 4. Phyſ. T. 133.*

POſſidet veritatem de menſura adæquata, & proportionata menſuratis, non de inadæquata, qualis eſt Deus reſpectu creaturarum. Cæterùm de immediata, & proxima, quæ idem redolet genus cum menſurato, non de remota, & analoga; vide quæ ſupra. Dicta ſunt in Effato 2. *T.* 10. *Met.*

Modus operandi ſequitur modum eſſendi. *3. Cæli T. 77. ac 9. Met. T. 16.*

HYpoteticè, hoc eſt conditionatè, valet hoc Effatum, non abſolutè, itaut ſi modus eſſendi ſit dependens, aut participatus, quòd ſimiliter talis ſit modus operandi; non enim tàm ſtrictâ lege inſequitur modus operandi modum eſſendi, vt ſicuti modus eſſendi eſt dependens à ſubiecto, ita & modus operandi, quâ diſtinctione vtuntur, qui volunt creaturam poſſe creare aliquod ens, tanquàm principale agens. Inſuper valet actiuè, non paſſiuè, ideſt ſi ſumatur pro agere cauſæ, quoniam potentia actiua cauſæ non diſtinguitur ab ipſamet cauſa entitatiuè, at ſolùm formaliter; vndè ſicuti entitas cauſæ non eſt increata, ſed dependens à ſubiecto, ità virtus, & modus operandi; paſſiuè autèm fallit, quoniam effectus, vt plurimùm, habent diuerſum eſſe à cauſa ſua, ſicuti ſunt effectus æquiuoci, de quibus ſupra. Amplius valet in ſimplicibus, non in compoſitis. Vlterius de naturali operatione, non de quauis alia.

Modus sciendi non est scientia. *2. Metaph. cap. 3. T. 15.*

IN simili sensu vsurpatur, quòd non est scientia eius, cuius est modus sciendi, non autèm, quòd non possit esse modus vnius, & scientia alterius. Item sic, quòd modus sciendi non sit scientia formaliter, at benè materialiter; vna enim, & eadem facultas materialiter potest esse scientia, & modus sciendi, quemadmodùm vna, & eadem res potest esse alba, & dulcis.

Motus ab extrinseco motore est violentus *7. Physicor. T. 10.*

DE extrinseco motore, non semper mouente, & finitarum virium procedit Effatum, non de eo, qui semper mouet. Amplius de eo, cui à mobili fit resistentia, non de eo, cui à mobili resistentia nulla infertur, vt est Cœlum respectu Intelligentiæ, & vniuersa creata respectu primi motoris.

Motus est in pluribus Prædicamentis. *3. Physicor. T. 4.*

VErificatur de motu, vt est forma fluens, non vt via, & fluxus formæ, sic enim in prædicamento passionis est, & vniuocus ad sua inferiora, iuxta mox adductā auctoritatē. Actus mobilis, inquantum mobile: Amplius reductiuè, non formaliter quia sic nullius Cathegoriæ esset, dicente Arist. 3. *Phys. T.* 14. & 22. vbi eum appellat quid constans ex actione, & passione.

Mo-

Motus eſt de genere continuorum. *3. Phyſ. T. 1. & 6. eiuſd. cap. 1.*

SPecialiter valet de motu, cuius mobile eſt quantum, & cuius terminus eſt ſucceſſiuè acquiſibilis, non de eo, cuius mobile non eſt quantum, & propter hoc fortè omnis alteratio, & augmentatio non ſunt motus continui. Vlterius valet de motu proprio, & phyſico, qui ſecundum ſuas omnes partes ſimul non fit, minimè de improprio, & metaphyſico.

Motus mixti eſt ab elemento ſimplici dominante in eo. *1. Cæli T. 7.*

TRitum eſt de mixto perfecto, & totali, in quo ſcilicet miſcibilia ſunt redacta ad vnam formam ſuperadditam mixtioni, non de imperfecto. Amplius de motu naturali, non artificiali, aut violento. Rursùs, non tanquã à principali principio, quoniam forma elementi non eſt in mixto, alioquin elementum ſimul, & mixtum eſſet, ſed à cõſequente immediatè formam, eo quia dans formam, dat & conſequentia formam, putà grauitatem, colorem, &c. vt ſupra in initio literæ D.

Motus inuicem contrarij ſunt. *5. Phyſ. T. 58.*

PRæciſè reſpectu terminorum hoc debet vſurpari, non reſpectu mobilium, & mouentium. Inſuper formaliter, non materialiter, quoniam liquidum eſt vnum eſſe propter alium materialiter, non verò formaliter, quia contraria, prçter relatiua, nõ ſunt mutuò propter ſe, at ſe deſtruũt, vt ſup.

Motus non est aliquid præter res. *3. Phys. T. 4. & 11. Met. Summa 4. cap. 1.*

IN puris naturalibus vult intelligi, non in artificialibus. Item præter res, quæ sint subiecta ipsius; certum namque est, quòd motus est accidens, & quòd accidens alteri inest. Cæterùm, præter res, quæ sint termini eius; sic enim (vt supra) reducitur ad varia Prædicamenta, quia varios respicit terminos; propter quòd motus augmenti in quantitate est; alteratio in qualitate; latio in vbi.

Motus non distinguitur à termino motus, nisi secundũ magis, & minus perfectũ. *3. Phys. T. 5.*

VNo excepto locali, & ipsâ diminutione, valet de omnibus; cum enim quis vocat motum actum imperfecti semper dicit ob carentiam termini ad quem, qui terminus, ideò perfectus est, quia specificat motum; in diminutione tamen, & locali motu frequenter terminus ad quem imperfectus est. Itèm valet, non de motu præcisè, cum sit continuus vsq; ad quietem, seù terminum ad quem, sed respectu mobilis, cui (pro eo tunc, quòd mouetur) conuenit carentia perfectionis, vt paulò infrà.

Motus est aptus ignire lapides, lignum ferrum, &c. *2. Cæli T. 42.*

REquirit, vt intelligatur de violento, & intenso, non de naturali tantùm, & de remisso: Quod si naturali vnquam fuit datũ similia moliri, vtiq; per longos actus, & aeris, vel alterius corporis resistentiam censendum est fuisse, aut cum antyparistasi, vt supra.

Mo-

Motus localis præcedit omnes alios. *8. Phyſ. T. 55.*

VErum eſt, vel ex parte mouentis, vel ex parte mobilis non reſpectu vtriuſq; ſimul, aut tantummodò motus; ait enim Ariſtot. 1. *de Ortu T.* 25. quòd alteratur, & quòd generatur ex neceſſitate non mutari ſecundum locum, quod eſt idem, ac dicere ipſum localem non præire illos. Amplius verum de prioritate perfectionis reſpectu ſubiectorum mobilium, non originis tantùm; liquet enim, quòd homo e. g. prius nutritur, & augetur, quàm quòd moueatur ad locum. Tandèm verum reſpectu totius Vniuerſi, quia ille eſt, qui 8. *Phyſ. c.* 1. vita quædam omnibus dicitur, non in particulari.

Motus quiſquis talis eſt ſecundum ſpeciem propter terminum ad quem. *5. Phyſ. T. 34.*

INgenuè verificatur de termino ad quem formali, non materiali; conſtat enim ad eundem numero locum poſſe Aquilam volando, hominem progrediendo, & piſcem natando moueri *ex* 5. *Phyſ. T.* 32. ſed ad eundem formalem minimè. Cæterùm verificatur in naturalibus, non in artificialibus; liquet enim, quòd Medicus à Medicina, quæ eſt terminus à quo dicitur, & non à ſanitate, quæ eſt terminus ad quem.

Motus præſupponit mobile. *8. Phyſ. T. 4. & 5.*

SVmitur verum de prioritate naturæ, non temporis: Inſuper quoad partes, non quoad totum; ait enim Simplicius Cœlum præſupponi à motu particularium circulationum, nõ reſpectu communis circulationis: Item quà ratione motus eſt actus ſecundus, nàm dicitur ab Ariſtot. 3. *Phyſ. T.* 18. & *Simplic. in Com. Phyſ.*

8. *T.*

8. T. 4. quòd est actus mobilis inquantum mobile, vndè actus præsupponit potentiam, non autèm, quà ratione mobile est relatiuum ad motum, quia relatiua simul esse debent.

Motus in contrarios terminos non est naturalis. *5. Phys. T. 7. & 9.*

SVb hoc sensu vsurpatur, putà quando tales termini non sunt naturaliter complexi per modum vnius; vndè motus cordis secundum Aristotelem, & Medicos naturalis est, & tamen est ad contrarios terminos, cum componatur ex systoli, & dyastoli; seù pulsu, & tractu, constrictione, & dilatatione. Insuper vsurpatur de motu præcisè facto à mouente, & mobili corporeis, non de vitali, facto à mouente spirituali, & libero.

Motus localis est actus imperfecti. *3. Phys. T. 6. & 11. Metaph. c. 3.*

NOn ita intelligitur Effatum, quod desit aliquod eorũ, quæ debent inesse intrinsecè ei, quod mouetur, sed respectu loci, siquidèm dùm mobile est in vno loco, est in potentia ad alium. Præterea imperfecti secundum quid, non simpliciter, quandoquidèm 1. *Cæli* ab Arist. attribuitur perfectio ipsi Cœlo, gratiâ sui motus, qui tamen localis est. Item generaliter, ob carentiam termini ad quem, non particulariter, quoniam grauia, dùm ad suum centrum mouentur, ab eodem Arist. 1. *Cæli* dicuntur ad suam perfectionem moueri, qui planè motus ad suam perfectionem (comparatiuè saltèm ad violentum) imperfectus dicitur.

Mo-

Motus tot sunt species, quot entis. *3. Phys. T. 5.*

DE ente contracto, & prædicamentali vult intelligi, nō de transcendenti, siuè secundum Chartarium in Conciliatione præsenti de ente reali tali, putà de moto, nō de absoluto, & vago, estq; sensus (vt vnanimes Auerr. & Simplic. dicūt) quòd quot sūt entis moti species, tot etiā sūt, & motus. *Chart. 3. Phys.*

Motis nobis mouentur omnia, quæ sunt in nobis. *2. Topic. c. 3.*

INtelligitur isto, vel illo motu, non illo determinato, quo totum mouetur. Præterea de illis, quæ sunt capacia moueri, non de alijs; anima enim mouet animata, & patet, quòd quo motu mouet, non mouetur. Cæterùm in ordine ad locum, qui acquiritur, qui sanè, si acquiritur à toto, etiā à partibus acquiritur, non alio modo.

Motus vita quædam est omnibus. *8. Phys. T. 1.*

VAldè clarum de motu interno, qui ab anima pendet, vt principium quo omnium actionum compositi, non de externo, qui distrahit corporis partes, quo sensu dicebatur ab Arist. 4. *Phys. T.* 120. tēpus causa corruptionis, quatenùs distrahit corporis partes ad modum externi motus: Item metaphoricè, non realiter solum,

Mouens corporeum non mouet, nisi motum. *8. Phys. T. 33.*

ACcipitur verum de motu locali naturali, cuius mobile est receptiuum virtutis mouentis, non de obiectiuo, & mo-

& morali; constat enim colorem, obiectum motiuum potentiæ visiuæ, nõ necessariò moueri, neq; corpus totum, vt obiectum tactus. Cæterùm non necessariò eadem specie motus, sed illâ, vel aliâ; vndè trahentes nauem non trahuntur secundum Arist. mouentur tamen localiter, quòd satis est.

Mouens, & motum simul esse debent. 7. *Physicor. T. 2. 4. & 10.*

RAtum manet de mouente, & moto immediatis, non mediatis. Item de motione physica, non morali, intentionali, & metaphorica, Amplius de simultate eorum, inter quæ non cadit medium non de locali, cùm dicat Aristot. 4. *Phys. T. 8. & 2. de Anima T. 69.* duo corpora nequire esse simul. Prætereà de simultate virtutis, non suppositi, vel quãtitatis. Demùm de motu naturali, & proprio, non æquiuoco, aut in genere causæ finalis; vndè Generans, licet non sit simul in quantitate cum grauibus, & leuibus, quæ mouentur, est tamen simul virtute.

Mouet omnia, quod in nobis diuinum est. 7. *ad Eudemum cap. 18.*

INtelligitur de diuino, lato vocabulo, idest per excessum cuiuslibet naturalis noti; principium namquè, quod in nobis est, & ad virtutes, ac scientias propellit, naturalis sphęrã, imò capacitatem excedit, non de Diuino strictò modo accepto, ità Grassotius in cap. 13. 7. Ethicorũ propositione 4. Amplius de Diuino in ratione finis, nã qui finis mouet Creaturam rationalem ad fælicitatem, summum bonum, & Diuinum est, non in ratione mouentis immediati, & formalis.

Io. Grass. 7. Ethic. cap. 13.

Mul-

Multitudo oritur ex diuisione continui. *3. Phys. T. 68. & 69.*

DE multitudine, & pluralitate causata in substantijs materialibus ex diuisione quantitatis earum intelligitur, non de numero, aut pluralitate transcendenti, iuxtà quam dicitùr ab Aristot. 3. *Metaph. T.* 10. vnum, & multa diuidere ens, & datur substantijs immaterialibus, ac ipsis abstractis, quæ multitudo formalis dicitur à D. Th. in de Spiritualibus Creaturis art. 8. ad 15. Cæterùm de multitudine in partes, vt existentes, non entitatiuas tantùm. *D. Tho. in de Spi Cr. ar. 8. ad 15.*

Munus est naturalis Philosophi magis considerare finem, quàm materiam. *2. Phys. T. 91.*

CErtum manet de naturali Philosopho, vt scientificus est in genere, non vt talis scientificus. Ampliùs, prout ly magis appellat intentionem, & dignitatẽ eius, quod consideratur, nõ extensionẽ, quoniam Physicus, nil sine materia considerat, ita Piccolomineus ad literam in 2. Phys. Com. T. 91.


Mutatio importat hoc esse post hoc. *5. Phys. T. 7.*

VAlet, quantum ad nomen pro termino importatum, quoniam aliter se debet habere id, quod mouetur nunc e. g quàm prius, cum acquisierit terminum, quo primò carebat, non quantum ad speciem, & naturam. Itèm, secundum Alios, quantùm ad modum essendi, & gradum, non quantum ad formam, siquidèm intensio est quædam mutatio, & tamen noua forma, aut diuersa non sequitur. Cæterùm in continuis, & physicis mutationibus, non in alijs.


Finis Libri Primi.



QVingentorum aliorum Commentaria meditor, in gratiam Philosophiæ naturalis, ac doctrinæ Aristotelicæ, candide Lector, sub hoc secundo Libro; ad quem sanè breuibus præludijs, de more, atq; vsu euocor ipse, cùm Literarum (quæ omnium enunciabilium elementa sunt) descriptum mihi ordinem sequar, nullo verborum fuco, aut inani oratione interponendum; pura enim præstantiora semper, ac cariora extitere.




En itaquè tibi literam.



EFFATORVM ARISTOTELIS

LIBER SECVNDVS.



N

Naturà agit propter finem. 2. *Phyſ. T. 86.*

CErtum eſt per ſe, non ex euentu, & per accidens, quemadmodùm ſuprà lit. A. Cæterùm de natura vniuerſali abſolutè, & ſemper, non de particulari, cùm hæc impedibilis ſit. Vlterius de natura præcisè in agentibus naturalibus reperta, non in liberis, & voluntarijs, qualia agentia ſunt homines, in quibus, ob libertatem, ſi non eſt renuere quemlibet finem, eſt tamen ſuſpendere actionem circa aliquem primò intentum; vt infrà, hinc 2. *Phyſ. T.* 80. dicebat Ariſt. Araneam propter aliquem finem telam facere, & Hyrundinem nidum.

Natura determinata eſt ad vnũ *4. de Part. An. c. 6.*

VErum eſt in ſpecie, necnon & de modo actionis, non in numero, & penès indiuiduum; vndè clarè videmus Naturam delectari de multitudine indiuiduorum ſub vna ſpecie, & maximè, quando facilè corruptibilia ſunt. Item de Natura ſecundum eſſe formale, & contractum, non communiter, & indeterminatè accepta; ſic enim, non vnum, ſed omnia facit. Amplius de vnitate ordinis, non numerica tantùm.

Natura facit de possibilibus, quod melius est. *2. Cœli T. 34. & 4. de Partib. Anim. c. 4.*

DIrectè verificatur de natura naturante, quæ est auctrix omnium, quemamodùm etiam suprà tactum est, non de Natura naturata, quæ in eo, quòd dependet à prima defectibilis est: Insuper de natura communi, non de particulari: Rursùs de natura secundum se spectatâ, non impedita, aut cum arte iuncta, vt 8. *Phys. T. 56. & de Iuuent. & Senect. c. 2.*

Natura non deficit in necessarijs. *1. de Gener. Animal. cap. 4.*

SVam extollit certitudinem, quantùm ad motiua, non quantùm ad terminum, & executionem, & propter hoc, licet non det homini in primordijs omnia, quæ sunt ei necessaria, tamen dat ei, vndè possit cuncta necessaria acquirere, scilicet rationem: quâ doctrina in sua Sectione Problematum respondet Zimera interroganti, cur inter omnia animalia solus homo à natura nudus in lucem sit emissus. Cæterùm suam certitudinem ostendit in tota specie, non in indiuiduis, alioquin nullum monstrum oriretur, nec vnum alteri impedimento esset, vt tertium obsoletum fieret, quòd contradicit.

Natura nobilior est arte. *2. Phys. T. 78.*

INconcussæ est veritatis, quando Ars, & Natura disiunctìm sumuntur, sed falsum, quando coniunctìm accipiuntur, quandoquidé Ars Naturæ opera perficit, & quodamodò cõplet, iuxta ea, quæ habet Philosophus in 7. *Politicorũ cap.* 17. Itèm in substantialibus, non in accidentalibus. Deinceps secun-

cundum rem, non secundum modum; est enim arti additum intellectus exercitium, quòd eleuat opus suum suprà Naturam, vt in inferioribus.

Natura maximè infinitum abhorret. *3. Physicor. T. 41. ac 1. de Gener. Anim. c. 1.*

VErificatur adæquatè de infinito multitudinis, & magnitudinis, non durationis, vt est motus Cœli, & continua rerum generatio, ex circulo obliquo causata, vt habemus ex *2. de Ortu T. 68. & 69.* Insuper verificatur de natura elementata, quæ tantummodò sibi adsciscitur substantiam finitam, non de Cœlesti, quæ propter hoc infinitas postulat circulationes. Cæterùm de infinito cathegorematico, penitùs immobili secundum locum, non de syncathegorematico.

Natura non laborat operando. *1. Cœli T. 100.*

GErmanum habet sensum de natura naturante, quæ est Deus ipse, non de naturata, quæ est singula res naturalis naturaliter operans. Amplius verum Effatum de natura simplici, at falsum de natura mixta, quæ ob varia, ex quibus constat elementa, potest in actionibus suis impediri. Tādem verum de natura per se, non labefactata, sed libera, & in statu naturali non impedita, falsum autem opposita ratione.

Natura non mouet ad opposita loca. *2. Ethic. c. 1.*

VAlet in ijs, quæ vitâ carent, non in animalibus, quocircà videmus grauia tantummodò descendere, & leuia ascendere; animalia verò huc illuc ferri, quinimò pluribus etiam motibus moueri; Insuper per se, & vno tempore, non

per

per accidens, & diuersis temporibus, ac actibus. Insuper de mobilibus secundum totum spectatis, non secundum partes; cernimus namq; vnum, & idem animal posse vnum pedem eleuare, & alterum deprimere, &c.

Natura nil temerè agit. *2. Cœli T. 59. & 1. de Partibus Animalium cap. 5.*

Approbatur in effectibus naturalibus, & communibus, non in particularibus; similiter ratione speciei, non indiuiduorum; sunt nanq; multa in indiuiduis, quorum vsus adhuc desideratur, veluti oculorum in Talpa, vasorum seminalium in Mulo, &c. Item quantùm est ex se, vt paulò suprà, non superaddito aliquo impedimento, aut aliâ concausâ.

Naturalia immutabilia sunt. *2. Ethic. cap. 1. & 8. Physicor. T. 84.*

De naturalibus simplicibus verificatur hoc Effatũ, quæ porrò in se contraria non continẽt, minimè de compositis, & ijs, quæ contraria habent: Cæterùm de naturalibus proprijs, quæ .s. sunt, vel partes essentiæ, vel ab essentia immediatè fluunt, non quæ ad tempus solùm propria apparent alicuius subiecti, & non sunt. Vlterius de naturalibus præcisè, non de ijs, quæ secùm aggregant libertatem, vt suprà: Hoc itidèm modo interpretatur dictum inferius Arist. *Naturalia non assuescunt ad oppositum*, scilicet, quòd sit verum quantum ad essentiam, & proprium quarto modo; vndè si qualibet hora sursùm proijciatur lapillus, nũquàm assuescet sursùm moueri, nec ignis descendere, non autem secundùm modum essendi, vt infrà.

Ne-

Necesse est principia sēper manere. *1. Phys. T. 50.*

MAnet ratum, & firmum in specie, non in numero: Insuper in omni transmutatione, cum debeat esse principia cunctorum, non in omni loco, omni subiecto, &c. cùm transcendentalia ab omni loco, & tempore abstrahant. Cæterùm adæquatè, & directè de intrinsecis principijs, non de extrinsecis.

SKOLION. Intrinseca principia sunt, quæ constituunt rem, tanquàm partes essentiales, vt materia, & forma, quæ vlteriùs principia in fieri, & facto esse dicuntur. Extrinseca sunt, quæ non constituunt rem, sed necessaria sunt constitutioni, vt actio est, sicuti finis, efficiens, & ipsa priuatio.

Nemo intendens ad malum operatur. *1. Magnorum moralium cap. 12.*

VAlet ad malum, vt principaliter intentum, ac volitum, non ex consequenti: qui enim non fugit, nec nititur fugere in ipsũ malum incidere, cõcomitanter intendere malum videtur. Amplius per se, non per accidens. Cæterùm in cognoscentibus vtrunq; malum videl. & bonum, non liberè de omnibus. Item, tanquàm ex adæquato fine mouente, non inadæquato, &c.

Nemo dat quod non habet. *Lib. de Causis Prop. 1.*

REctè intelligitur de causa principali, non instrumentali; calamus enim literas effingit, quas ipse non habet. Prætereà verum est in vniuocis, non in æquiuocis; hinc videmus silicem non acutum ferrum acuere, vt melius scindat; Tandèm intelligitur de eo, quod non habet id, quod causat,

vel

vel formaliter, vel virtualiter, aut eminenter, non formaliter solùm.

Neq; in Natura, neq; in cognitionibus datur processus in infinitum. *1. Post. cap. 1.*

SVam retinet veritatem in causis per se, & merè naturalibus, non per accidens; similiter, non in actibus intellectus, neq; in relationibus, & huiusmodi, at in absolutis, & præcisè naturalibus. Prætereà in essentialiter ordinatis, non accidentaliter. Deniq; in cognitionibus scientificis, quæ penès determinata principia, & subiecta attenduntur, non in dianœticis tantùm.

Nihil agit vltra suam speciem. *2. de Ani. T. 34.*

VErum vtiq; est de actione totali, & actuali, non de imperfecta, & potentiali. Cæterùm de actione, quæ ab agente principali emanat, non à coadiuuante, & instrumentali. Rursùs cæteris paribus, hoc est sine alteratione extrinsecorum, vt Artis, &c. constat namquè aquam violenter calidam calefacere, qui non est suæ speciei effectus: sic per propriam virtutem, non alterius.

Nihil à casu natura facit. *2. Cœli T. 50.*

ANcillatur veritati de natura communi, & naturante, quæ alteram regit naturam, non de particulari, & naturata, quæ sub alterius dominio residet: Cæterùm de natura reduplicatiuè, vt in speciebus est, non de illa, vt in causis impedibilibus adest, vide suprà.

Nihil

Nihil, dùm fit, eſt. *6. Phyſ. T. 7.*

VAlet in permanentibus, non in ſucceſſiuis, quoniàm in his, quòd fit eſt. Prætereà, non in illis permanentibus, quæ fiunt in inſtanti, vt ſunt illuminationes, viſiones, intelle-ctiones, &c. ſed in illis, quæ tempore producuntur, & pro quorum productione diſpoſitiones determinatæ exquiruntur, vt eſt e.g. generatio Leonis productio lapidis, &c.

Nihil eſt in intellectu, quod primò non fuerit in ſenſu. *1. de Senſu, & Senſibili cap. 1.*

DE Intellectu, pro hoc ſtatu, in quo phantaſmatibus eſt inuolutus intelligitur Effatum, non pro alio. Itèm de intellectu creato, non de Diuino, & increato. Cæterùm mediatè, vel immediatè, non tantùm immediatè. Amplius inchoatiuè, ſi non terminatiuè; conſtat enim abſtracta, & ſeparata intelligi, quæ tamen nunquàm fuerunt in ſenſu.

Nil cognoſcitur niſi, ſecundum modum, quo eſt in cognoſcente. *3. de Anima T. 12. & 14.*

INtelligitur, vt eſt in cognoſcente repræſentatum, non exiſtens; ſimilitudo enim, in vi cognoſcitiua exiſtens non eſt principium cognitionis rei ſecundum eſſe, quòd habet in potentia cognoſcitiua, at ſecundum relationem, quam habet ad rem cognitam, & indè eſt, quòd non per modum, quo ſimilitudo rei habet eſſe in cognoſcente res cognoſcitur, ſed per modum, quo eſt repræſentatiua, vt ſupra lit. E.

Nil dicitur vnum per naturam ſuperadditam. 5. *Met. cap. 6. T. 7. 8. & 11.*

De natura completa poſtulat verificari, & de diſtincta, non de ſola paſſione, ideſt de addito, quòd ſit paſſio; & propter hoc, ſi vnum additur enti, adhuc ens dicitur vnum, quoniam additur, tanquàm paſſio. Itèm de vnitate per ſe, non aggregationis, quæ eſt plurium totorum ſeorsìm, vt ſunt plures lapides ad conficiendum murum, plures paginæ ad conficiendum librum.

Nil eſt magis vnum, quàm vnum ſibi. 5. *Metaph. capite de Vno.*

Verificatur optimè de vnitate naturæ, non de vnitate affectus, cuius obiectum eſt bonum, & propter hoc ſummum bonum eſt nobis magis vnũ, quàm nos ipſi nobis: Itèm de vno per identitatem, non per conuenientiam, & aggregatione, vt paulò ſuprà tactum eſt.

Nil inordinatum eſt eorum, quæ ſecundum naturam fiunt. 8. *Phyſ. T. 15.*

Approbatur de ordine congruitatis, non adæquationis, ſecùs ars, & ſcientia non perficerent Naturam, contra determinata ab Ariſt. 7. *Polit. cap.* 17. Item per ſe, non per accidens, quandoquidèm oportet, vt id, quod ſecundum Naturam eſt, aliquando quidèm ſic, & aliquando non aliter ſe habeat, ex eodem textu in fine, ſaltèm in ſingulari, & ſecundum exiſtentiam, vt ſuprà bis tactum eſt, non alio modo.

Nil

Nil mouetur à se ipso. *8. Phys. T. 28. & 34.*

VAlet per se primò, non per se tantùm: similiter in ratione totius, non partium; quocircà animal dicitur à se ipso moueri ad differẽtiam inanimatorum, quoniam in eo vna pars est mouens, & altera mota, quæ mouens, quia intrinseca est, & non visibilis, fit, vt dicatur à se ipso moueri quaque versùm, ad distinctionem inanimatorum, quæ, si à generante, pariter inuisibili mouentur, tamen ad determinata loca, & necessariò mouentur;

Nil præuisum est fortuitum. *2. Phys T. 62.*

INtelligitur hoc respectu causæ primæ, & vniuersalissimæ, extra cuius ordinem, & intentionem nil potest exire, non de causa particulari. Item respectu præuidentis, qui disponit se ad talem effectum, non respectu Naturæ, & causarum singularium contingenter se vnientium ad pruductionem similis effectus, aut respectu aliorum, introspicientium quidem actum, sed ignorantium finem.

Nil sortitur speciem ab aliquo extrinseco. *1. de Anima T. 53.*

PRocedit verum in absolutis, non in relatiuis, siquidèm relationes ipsæ à fundamento, & termino specificãtur, quæ ambo extrinseca suut. Amplius de extrinseco reduplicatiuè, non de illo, facto per aliquam rationem intrinseco, vt suprà de materia Cœlorum dictum est.

Nobilius eſt dare, quàm accipere. 1. *Phyſ. T.* 8 1.

APprobatur de nobilitate cauſalitatis, & in genere, non de nobilitate ſimpliciter dicta, & ratione exiſtentiæ; videmus enim compoſitum phyſicum nobilius eſſe, ac perfectiorem exiſtendi modum habere ſuprà formam, quæ dat illi quidditatem, & eſſe(præter id, quòd illud eſt totum, & forma pars tantùm) Item ſecundum quid, non &c.

Non datur minimum tempus. 4. *Phyſ. T.* 108.

VErificatur pro hoc ſtatu, in quo à ſenſu ſumitur exordium intellectus, iuxta illud repetitum nihil eſt in intellectu, quod primò non fuerit in ſenſu. Inſuper tale, quod habeat poſitionem ad modum minimi, ſeu mathematici indiuiſibilis, ſicuti eſt punctus, non alio modo. Item quia minimum, quod excogitamus in tempore eſt inſtans: inſtans autem propriè non eſt tempus, cùm iſtud ſit menſura ſucceſſiua, aggregans ſibi præteritum, præſens, & futurum.

Non ens eſt prius ente. 1. *Phyſ. T.* 75. & 76.

SVmmè notum eſt in creatis, non in omnibus abſolutè; Deus enim ſemper fuit, & eſt ens, & nihilominùs eum non præcedit non ens: Inſuper dè prioritate negatiua, & à quo, nō poſitiua, & in quo Prætereà in ſubſtantialibus, & ijs, quæ propriè fiunt, nō in alijs quomodocunq; entia vocentur.

Non eſt proprium, quòd alijs ineſt. 1. *Topic. cap.* 4.

INtelligitur de ſpecie, & natura illius, quod dicitur proprium, non de eo, cuius eſt proprium, aut cui accidit, vt ſit

sit proprium; si enim aliquod sit subiectum denominationis respectu vnius, & inhæsionis respectu alterius, nō verificatur; sicuti si vni insit primariò, & alteri secundariò, vt de habére tres respectu trianguli æquilateris, & isoscelis; primariò nāque de æquilatero dicitur, & secundariò de isoscele, iuxta Arist. 1. *Post. T. 2. & 9.*

Non est generatio sine alteratione. 1. *de Gener. c* 1.

DE generatione simpliciter, quæ propria est substātiæ, intelligitur Effatum, non de secundum quid: Insuper de alteratione corruptiua, quæ fit per qualitates primas, atq; contrarias: imò inter immediatè contrarias, quæ .s. inuicem agunt, & patiuntur, non de perfectiua, quæ non fit à qualitatibus contrarijs, neq; primis tantùm. Amplius de generatione, vt integra transmutatio physica est, putà cum suis dispositionibus, non pro instantaneo transitu de non esse ad esse.

Non entis nulla est potentia, & nulla scientia. 1. *Post. T. 4. ac* 1. *de Ortu T.* 19.

CVrrit de notitia affirmante, & approbante, non de negatiua, qualis est vacui notitia, infiniti, tenebrarū, &c. vndè tenebra ex luce, cœcitas ex visu, & ens rationis ex ente reali agnoscuntur, dicente Auerroe 1. Post. Comment: 1. Item, prout non ens dicit falsum, quemadmodum ait Arist. de diametro commensurabili costæ, non prout dicit possibile esse, & id, quod nondùm existit, extiturum tamen est: Deniq; positiuè, non priuatiuè; quia, licet falsum non sit verum, & ex consequenti obiectum intellectus proprium, est tamen cognoscibile, & scibile, vt infrà.

Non

Non entis nulla sunt accidentia. 1 *de Gener.* T. 16.

Verum est, quando per non ens intelligitur res, quæ penitùs non est, nec fuit, nec erit, vt e. g. plures Dij veri, non de eo, quod non est, sed fuit; vndè mortui, nunc nō sunt, & tamen dicuntur habere accidentia, cùm læti, aut miseri asseuerentur. Pariter de eo, quod non est, sed erit, vti ens reale futurum, nimirùm dies iudicij, eclypsis sequentis anni, &c.

Non fit transitus inter specie diuersa, nisi fiat per omnia media 5. *Phys.* T. 22.

Intelligi debet, vel sensibiliter, vel insensibiliter, non solummodò sensibiliter; licet enim ex albo fiat nigrū, absq; sensitiua cognitione mediorum, tamē ista imperceptibili modo adest, quòd etiam contingit in visione respectu iudicij discernentis obiectum. Itèm per omnia media directa, & subordinata, non indirecta, & extranea. Cæterùm ex valore dictorum mediorum, quoniam ascendētes ad aliud extremum, vigorem omnium mediorū transijsse videmur, nō sigillatim.

Non percipitur differentia vnius ab alio, nisi simul vtrunq; apprhendatur. 2. *de Anima* T. 146.

Valet, aut distinctè, aut confusè, non necessariò distinctè: Item ab intellectu, non à sensu, quandoquidèm sensus (nisi plura sub ratione vnius colligantur) plura non agnoscit, ad differentiam intellectus in hoc, quòd intellectus melius seorsim, quàm simul obiecta cognoscit, sed cognoscēdo simul per plures species confusas, cognoscit per modum vnius differentiæ, vt plures partes sub ratione totius, & subordinata omnia sub ratione illius, cui subordinantur, & non sic sensus; vide infrà lit. P.

Non

Non poteſt eſſe eadem ſtatua, quæ deſtruitur, & de eodem ære ædificatur. *ex 7. Met. cap. 6.*

ACcipitur verum de ſtatua, ſecundum quòd artificiale quoddam eſt, non verò ſecundũ eſſe ſubſtãtiale; cùm enim in genere ſubſtantiæ ponãtur ſtatua, & calceamentum, (ſecundum verba Ariſt.) ratione materiæ; porrò, cùm materia eadem remaneat, etiam quoad ſubſtantiam, dicitur remanere eadem numero ſtatua; in genere verò artificiali, quia ſtatua, & calceamentum ponuntur ſecundum formam, idcircò, cùm talis forma ſit accidens, quod tranſire debet cum deſtructione ſtatuæ, propterea dicitur ab Ariſt. quòd nõ ſit eadem, &c. Pariter non eadem numero, at benè ſpecie.

Non poteſt materia exui ab omni forma. *1. de Ortu T. 29.*

VErificatur à cauſa ſecunda, & per vires eius, non à cauſa prima, & per poteſtatem ipſius: Item ab omni ſubſtãtiali, quæ de perfectione eſſentiali illius eſt, non accidentali, eſtò, vt exiſtens exiſtentiâ phyſicâ, accidẽtia ſemper habeat. Cæterùm in genere, non, &c. datur enim materia Cœleſtis, quæ nullo modo exuitur, nec exui poteſt.

Non quoduis, quod eſt, in loco eſt, ſed mobile corpus. *4. Phyſ. T. 45.*

VErum vtique eſt, tanquàm contentum, & commenſuratum in continente, & commenſurante, non tanquàm operans in operato, & tali modo anima ſeparata, ac Intelligẽtiæ ſunt in loco: Similiter verum de loco circumſcriptiuo,

non

non definitiuo; vndè rectè D. Th. 1. p. q. 52. ait esse in loco, non nisi æquiuocè dici de anima separata, hoc est secundum nomen, quia est, & est alicubi in mundo, ac in serie creatorum, sed non circumscriptiuè.

Notiora quoad nos ipsa vniuersaliora sunt, & notiora naturâ ipsa singularia. *1. Phys. T. 2.*

POstulat intelligi de singularibus simpliciter, quæ cadunt sub sensu, & contradistinguuntur ipsi vniuersali, non de singularibus per comparationem, vt sunt species respectu generum: Itèm in hoc sensu, vt singularia, quatenùs existentia, sint magis in intentione Naturæ, quàm vniuersalia; principalior enim finis est species, quàm genus, & in eodem genere Naturæ prima substantia, quàm secunda, siquidèm, ablatis his, necessariò cuncta tolluntur *ex 7. Met. T. 8.*

Nota per se probari non possunt. *2. Phys. T. 6.*

DE probatione demonstratiua intelligitur, quoniam demonstratio non dirigitur ad per se nota, sed ad quæsita, & quæsita sunt dubitabilia, non verò de demonstratione dialectica, dicente Auerroe 4. Phys. Com. 1. Arist. in simili textu quærere, an locus sit, qui tamen est quoddam per se notum, sed dialecticâ ratione, non demõstratiuâ: sic *9. Metaph. T. 5.* disputat Arist. contra negantes potentiam esse, cum tamen asseruerit eam esse quoddam per se notum, sed suæ probationes dialecticæ sunt. Amplius strictè, & per se loquendo probari non possunt, benè autem ad hominem, & rationibus dicentibus ad inconueniens, iuxtà expositionem Marci Antonij Zimaræ in Theorem. 54.

Auerr. 4. Phys. Com. 1.

Zim. Theor. 54.

Nul-

Nullum absolutum potest definiri per relatiuum. *6. Topic. cap. 2.*

REquirit, vt intelligatur de ente absoluto cathegoricè, & absolutè sumpto, non respectiuè; pater enim, quatenùs homo, non potest definiri per respectum, sed quatenùs pater, vel dominus, &c. benè; & in hoc sensu volunt Interpretes Græci Aristotelem definiuisse Naturam 2. *Phys. T.* 3. per principiũ, quòd est quoddam relatiuum. Dicunt Alij verũ esse de absoluto simpliciter, nõ secundum quid, vocãtes Naturam absolutam secundũ quid tantùm: Itèm quia nullus respectus est de essentia absoluti, & solummodò essentialia definitionem ingrediuntur, quòd primariò fas est intelligere, non secundariò, & consecutiuè.

Nullum accidens necessarium est. *1. Post. T. 43.*

APprimè verum, si sumatur necessitas ex parte intellectus tantùm, quoniam sic quodlibet accidens potest separari à subiecto; & subiectum intelligi cum opposito eius, quòd actu habet, dicente Porphyrio in capite de Accidente, non verò si sumatur ex parte sensus. Itèm secundum Themistium verum de necessitate accidentis secundum quid, non simpliciter. *Porphyr. capite de Accidẽ. Them. in Com. cit.*

SKOLION. In votis est Themistij, ac aliorum cum eo. Accidens necessarium necessitate simpliciter illud esse, quod omnibus, quibus inest, inest necessariò per illius naturam, vt risibile ipsi homini; secundum quid verò esse illud, quòd non inest necessariò ijs, quibus inest, vt album habẽti albedinem: sed vide, quæ supra dicta sunt lit. A.

Nullum est Agens sine patiente. *9. Met. T. 12.*

CErtitudinem habet de agente particulari, quòd agit per motum, non de vniuersali; quocircà patenter in eodem libro *T.* 10. dicebat Philosophus actum, & potentiā in plus se habere, quàm ea, quæ tantùm secundum motum dicuntur. Rursùs in actu exercito, & relatiuè sumptis, non &c. vide quę supra habita sunt lit. A.

Nulla priuatio suscipit magis, aut minùs. *In Post-prædic. cap. 1.*

VAlet de pura priuatione, siquidèm vnus homo cœcus non est magis cœcus altero, non de ea, vt stat sub positiuo. Vlterius valet secundum se, non ratione sui habitus; aer namq; dicitur magis, vel minus tenebrosus, secundum, quòd in eo est magis, vel minus de lumine. & conualescentia maior. vel minor, secundum quòd in ea est magis, vel minus de sanitate.

Nulla scientia, aut Ars probat suum subiectum esse. *1. Post. T. 2.*

HAud falsum de probatione directa, & demonstratiua, non de indirecta, putà soluendo rationes ipsum destruentes, & sic putat Linconiensis in Com. dicti Textus Aristot. facere *1. de Ortu T.* 11. dùm probat generationem substantialem dari, quæ apud ipsum subiectum est librorum de Ortu, & Interitu, siuè de Generatione, & Corruptione.

Licon. 1. Post. Com.

Nul-

Nulla ſubſtantia eſt per ſe ſenſibilis. *1. Poſt. T. 31.*

ACcipitur primariò per ſe, & immediatè, quoniam ſic de facto nullo ſenſu percipitur; viſus enim colorem, auditus ſonum, &c. percipiunt, quæ non ſunt ſubſtantiæ, minimè ſecundariò, & mediatè, ſic namq; Cœlum per accidentia, & aliæ ſubſtantiæ per qualitates, & operationes cognoſcuntur ex interpretato *textu* 11. 1. *de Anima*. Item, ſecundum Aliquos, à ſenſibus externis, non internis; ſed infrà.

Nullum præter naturam æternũ eſt. *2. Cœli T. 38.*

DIrectè verum eſt, quatenus nullæ diſpoſitiones præter naturam in æternis ſunt, ſed falſum indirectè, nàm per Ariſtot. 2. *de Ortu T.* 58. corruptio eſt æqualis generationi, & tamen generatio eſt æterna; & corruptio præter naturam ex eodem 2. *de Ortu. T.* 37. Itèm reſpectu cauſæ poſitiuæ, non priuatiuæ; vide ſupra lit. I.

Nullum purum indiuiſibile mouetur. *6. Phyſicor. T. 32. & 86.*

VAlet opportunè de indiuiſibili quantitatis, non ſubſtantiæ, vt eſt Angelus; Inſuper valet de motu continuo, nõ de diſcreto, quali motu mouetur Angelus; dato enim motu continuo e. g. locali, datur ſucceſſio diuerſorum Vbi, & diuerſitas in termino à quo, & ad quem, in neutro quorum res poteſt dici moueri, alioquin quieſceret, & moueretur ſimul, quòd abſurdum eſt, & idcircò oportet id, quod mouetur totaliter non eſſe in alio terminorum, ſed partìm in vno, & partìm in alio, & propter hoc nullum continuum eſt in termino ſuo, vt patet de linea, quæ non eſt in puncto. Rurſùs de mo-

tu per se, non per accidens, quoniam indiuisibilia de genere quantitatis, ad motum eorum, quorum sunt termini, mouentur, & moueri ad motum alterius est per accidens moueri.

Nullum purũ mediũ contrariũ est. *10. Met. T. 22.*

INtelligitur verum, quatenùs non maximè distat ab extremis, sed falsum postea, quatenùs participat naturam extremi, quandoquidèm tali modo accepta media induunt rationem compositi, extrema verò tantùm simplicis, quod simplex, & quod compositum contrarietatem fundant. Item absolutè verum, sed comparatiuè falsum; ait enim Arist. in 1. *nuper cit. Phys. T.* 44. medium comparatum cum extremo alterius extremi vices gerere.

Nullum subiectum substantificum definitur per ipsum accidens. *7. Metaph. T. 8.*

CVrrit de substantia absolutè sumpta, non relatiuè, cuius census est Natura definita ab Aristot. 2. *Phys. T.* 3. per principium, & causam motus, ac quietis, quæ sunt accidentia. Insuper de accidente communi, non proprio; licet enim hoc non sufficiat definire, cum re vera quidditatem substantiæ non ingrediatur, vt superioris se, tamen non in cassum, tanquàm signum illius subingreditur.

Nullus motus necessarius dependet à voluntate inferioris entis, vt à primo motore. *2. Cœli T. 27. & 12. Metaph. T. 38.*

VAlet de voluntate vertibili, & flexibili, non inflexibili, qualis est voluntas Angelorum, & Intelligẽtiarum,

quæ

quæ ſunt motrices ipſorum Cœlorum, ſi non per naturā abſolutè (vt autumauit Philoſophus) ſaltèm per gratiam: Item, ſi non adſint propenſiones naturales ad ſimilem motum, vt euenit de Cœlo, in quo eſt propenſio, vt ſimili motu moueatur, quo ſua Intelligentia ipſum mouet.

Nullum violentum durabile. *2. Cœli T. 18.*

PRobè intelligitur de non habentibus cauſam ſempiternam proximam, ſecùs de illis, quæ hanc ſimilem habent; hinc propterea ignis in propria ſphæra perpetuò volutatur, quia ſempiternam cauſam proximam habet, ſcilicet Cęlum Lunæ, non ſic autèm inferiora violenter mota, vel alterata. Item de illo violento, cuius mobile finitæ, & deficientis eſt virtutis, vt putè, quod in mouendo laxatur, non è cōuersò; vndè motus Maris (apud eos, qui dicunt eſſe violentum) ſemper durat, quoniam eius mouens ſemper eſt cum eadem virtute; vide ſupra de præter naturam, &c.

Nullum vniuerſale ſignificat hoc aliquid, at quale quid. *7. Met. T. 48. & 50.*

INtelligitur de vniuerſali, quatenùs ſecunda intentio eſt, quoniam ita non ſignificat ſubſtantiā rei, & propter hoc, neq; in recto prædicatur in quid, ſed tantummodò dicit vniformitatem rationis, quæ qualitas eſt, per quam fit formaliter vniuerſale circà ſubſtantiam, non de vniuerſali, vt natura, cui intellectus attribuit intentionem vniuerſalitatis, quādoquidèm animal ſignificat hominis ſubſtantiā, de qua prædicatur: ſimiliter intelligitur præcisè, & quà ratione ſuperius eſt ad quinq; prædicabilia, non vt tale vniuerſale, putà Genus, ſpecies, &c. ità D. Tho. 7. Metaph. l. 3. *D. Tho. 7. Met. l. 3.*

Nul-

Nullum verum singulare definitur. *7. Met. T. 53.*

PRocedit de singulari reduplicatiuè, & primò intentionaliter, siquidèm talis definitio non videtur ordinabilis demonstrationi; benè tamen definiri potest secundum communem rationem singularitatis, quo pacto *in Cathegor. cap. 1.* definita est ab ipso Aristot. prima substantia, quæ singularis est, & quo modo etiam locutus est *3. Metaph. T. 10.* quando ait singula, quæ sunt, per definitiones clarescere; modò singularia sunt, imò maximè sunt, cùm existentiam, vltimum scilicet complementum essentiæ, habeant, vt infrà lit. S.

Nullum verum accidens est alteri subiectum. *4. Metaph. T. 14.*

INtelligitur verum de primo, & radicali fundamento, etenim accidens, cùm non sit per se, sed in alio insit, non potest sustinere aliud, minimè autèm de secundario, & subordinato; hinc videmus quantitatẽ subiectum esse qualitatum, vt superficiem colorum, sed non primarium, cùm & ipsa sustineatur ab eo, cuius est superficies. Itèm verum de subiecto *Quod*, non *quo*, vt suprà in exordio primi.

O

Obiectum sensus, nisi singulare est. *2. de Anima T. 60.*

INtelligitur verum aduerbialiter, non nominaliter, itàut sensus sit color in communi est obiectum visus, sonus in communi obiectum auditus, &c. non autèm color vniuersalis, sonus vniuersalis, &c. siuè etiam in recto, quòd color communis

videatur, sonus communis audiatur, sicuti asseritur de obiecto intellectus directo. Insuper verum comparatiuè, quatenùs sensus in varias species seiungitur, & pro quacunq; est determinatum sensibile, putà pro visu color, pro gustu sapor, &c. quòd non astruitur de intellectu, minimè autèm, quòd obiectum sit vnum tantùm singulare materialiter acceptum.

Omne agens agit sibi simile. *1. de Ortu T. 50. & 2. de Anima T. 32.*

VAlet, quantum est ex se, non per extrinsecùs aduenientia: Item in hoc sensu, vt sit secundum formam, per quam agens agit, vel per quam disponit materiam, vt recipiat: primo modo de solis substãtialibus verificatur, secundo verò de accidentalibus, cùm ad dispositionem hanc intimiùs, & immediatiùs accidentia concurrant, quàm forma agentis.

Omne corpus sensibile, aut habet grauitatem, aut leuitatem. *3. Phys. T. 53.*

PRobè intelligitur de generabilibus, & corruptibilibus secundum Auerroem, non de omnibus indistinctè, propter quòd corpora Cœlestia sensibilia sunt, & grauitatem, nequè leuitatem habent. Item secundum Alios valet de corporibus tangibilibus, & mixtis, non de simplicibus, & quæ visui tantùm succumbunt.

Omne ens comparatum alteri, aut est idem, aut diuersum. *10. Metaph. T. 8.*

IN comperto est de entitate reduplicatiuè accepta, non vt extenditur ad intentiones, siquidèm Petrus, & Paulus dif-

differunt entitate, ſed in ſecundis intentionibus generis, & ſpeciei conueniunt: Vel dicatis pro illa, & iſta entitate, non vno modo tantùm. Ampliùs de identitate, & diuerſitate accidentali, non ſubſtantiali; conſtat enim comparabilia, ſecundum ſubſtantiam diſtincta eſſe, vt ſupra literâ C.

Omne ens eſt verum. *5. Metaph. T. 14.*

DE veritate tranſcendentali poſtulat intelligi, quæ entitaté rei, ſiuè eſſentiam nominaliter ſignificat, & ſecundum Alios conceptum metaphyſicum, & phyſicū ſimul, non de veritate morali, & logica, quæ ſiſtit in conuenientia orationis cum re: Item reſpectu intellectus Diuini, à quo apprehenditur, ſicuti eſt, non reſpectu creati, vt ſupra litera E.

Omne ens eſt vnum. *5. Metaph. T. 11.*

PAriter de vnitate tranſcendentali poſtulat vſurpari, quę eſſentiæ indiuiſionem importat, non de numerica, & prædicamentali, nàm ſæpiſſimè aggregatione plurium fit vnum, vt domus ex lignis, lapidibus, & cæmento. Ampliùs vnum per attributionem ad primū efficiens, cui omnia æqualiter ordinantur, vt ſuprà, non vnitate formali, & naturæ.

Omne eſſe eſt à forma. *5. Metaph. T. 2.*

PRocedit de eſſe ſpecifico, & quidditatiuo, quod verè trahitur à forma, non de metaphyſico, & entitatis.

SKOLION. Eſſe ſpecificum habetur à forma, vt ab actu, qui non eſt dierentia entis ſolùm, ſed complementum; Eſſe verò metaphyſicum, aut entitatis eſt ab actu, qui eſt tantummodò differentia entis, qualis actus attribuitur materiæ primæ, vt ſuprà tactum eſt literâ E. Omne

Omne finitum per detractionem continuam partium tandèm finiri debet. 1. *Phys. T. 37.*

ACcipitur rectè secundũ speciem, & iuxtà partes æquales, non secundum inæquales, & proportionales: Cæterùm, si in actu secundo sit aptum diuidi, minimè si non, vt contingit de Cœlo, & de minimo physico, quod est magnitudo physica, at non magnitudo physicè diuisibilis, vt tactum est supra.

SKOLION. Iuuat hìc quoq; de diuisione finiti quanti animaduertere esse diuisibilem quantitatem, & esse diuisibilem in infinitum non idem significare, nàm primum est quidditas quantitatis, cum primò, & per se illi conueniat, & non alteri, vndè indemonstrabilis est de ea; secundum verò, putà esse diuisibilem in infinitum, minimè est eius quidditas, imò demonstrari potest per continuitatem, tãquam per propriam passionem: sic ergo est, quod minimum physicũ quantitatem habet, at non diuisibilem, &c.

Omne infinitum imperfectum est. 3. *Phys. T. 66.*

VEritati consonum de infinito priuatiuè dicto, quòd solummodò est in quantitate, siquidèm omne priuatiuè dictum est imperfectum, non de infinito negatiuo, quo pacto Deus infinitus dicitur, vt putà per nullam rem terminabilis. Itèm valet de syncathegorematico, quòd semper complebile est, non de cathegorematico per essentiam, & virtutem, veluti est Deus.

Omne fieri inuoluit tempus, vndè quod fit, fiebat. *6. Phys. T. 49. & 52.*

VEritati consonum, quando mutatio fit inter extrema, inter quæ est aliquid medium, quod ab agente finitæ virtutis prius tempore transeundum est, quàm perueniat ad aliud extremum, minimè quando non, vt in generatione substantiali, quæ momentò fit. Addo aliud esse, quòd aliquid sit coniunctum successioni continuæ, & aliud esse successiuum esse: Generatio substantialis coniuncta est tali successioni, sed non successiua dicitur.

Omne mobile per aliud reducitur ad mobile per se. *8. Phys. T. 33.*

VErum vtiq; est de reductione, quæ est ad primum in illo genere; vndè secundum Peripateticos omnia mobilia reducuntur ad primum mobile, quod dicunt motum ex se, quatenùs est primum compositum ex motore, & moto, non de reductione ad primò primum simplex, penitùs immobile: Sic dicendum de omni per accidens, quòd æget reduci ad per se, vt ad perfectius, & ad id, quod est metrum, & regula aliorum.

Omne prius potest esse sine posteriori. *5. Metahp. cap. 9. T. 16.*

VVlt penès intellectum accipi, non quoad rem; intellectus enim potest semper concipere ipsum prius absquè conceptu posterioris, & sic pariter materiam absq; forma, quod distinctè enucleauit Aristot. 5. *Met. cap. de Priori* dùm inquit illud est altero prius, quod intelligitur sine posteriori.

Omne,

Omne, quod est, quando est necesse est, quod sit *1. Perihier. capite vltimo.*

CVrrit de necessitate conditionata, & suppositionis, non de absoluta; & ideò, si Mundus, aut aliqua particularis Creatura, fuisset ab æterno, necessariò fuisset hoc modo, estò liberè à Domino Deo fuisset condita: Sed vide interpretationem alterius desumpti à capite de Priori suprà in exordio literâ A.

Omne, quod mouetur ab alio mouetur. *8. Physic. T. 34. T. 28. & 34.*

VErificatur de motione, quæ dicit influxum in causam, non in operationem semper, primum namq; mouens mouet, & non mouetur, neq; à se, neq; ab alio, vt in eodem textu concludit Aristoteles. Itèm de omni mobili, præter primum, quoniam in mouentibus, & motis non est processus in infinitum, vt dicto 8. *Textu* 35. asseuerat Philosophus.

Omne, quod fit, fit ex contrario. *1. Phys. T. 47.*

PRocedit hoc Effatum, parùm dissimile alteri superiori, in materialibus, non in spiritualibus, & intentionalibus, qualis est cognitio nostra, de qua 1. *Post. T.* 1. dicebat Aristot. *omnis cognitio dianoctica ex præxistenti fit cognitione*, quæ porrò secunda cognitio primæ cognitioni contraria non est, ita Chartarius in Controuersijs 1. textus 1. Post. Analyt. *Chart. in Cont. 1. Post.* Cæterùm in physicis, & ijs, quæ propriè fiunt, nimirùm per motum, non in moralibus.

Omne, quod mouetur in tempore mouetur. *4. Phys. T. 12. ac 6. T. 14.*

POstulat intelligi de motu proprijssimè dicto, non de alio. Item de motu physico, qui est actus imperfecti, vt suprà non de metaphysico, & discreto, quo .s. Angelus mouetur, nàm potest esse in instanti: Itèm de mobili infra primum, non incluso ipso primo, cùm pleriq; ipsam causam temporis appellent, & mensura à mensurato necessariò differat.

Omne, quod per superabundantiam dicitur vni soli competit. *12. Metaph. cap. vltimo.*

CVrrit de illo, quòd per superabundantiam dicitur in aliquo genere, vt est minimum, non in omni genere. Amplius de superabundantia creatorum, non increatorum; patet namq; sine hæsitatione, quòd omnia bona dicuntur per excessum de Deo, sed de similibus non est locutus Aristoteles in adducto T. Vel. dicatis vni soli competere in illo ordine, in quo per superabundantiam dicuntur; quo pacto si omnia bona per excessum, & redundantiam dicuntur de Deo, etiam soli Deo conueniunt.

Omne quod interit contrariũ habet. *1. Cæli T. 2 a.*

VEl per se, vel per accidens intelligi debet, non per se tãtùm. Vlteriùs de contrario priuatiuo, non positiuo solùm. Rursùs vel ratione suarum qualitatum, vel ratione dispositionum, quibus afficitur, & quarum beneficio in rerum natura conseruatur: Item naturaliter, non violenter.

Omne

Omne quod fit, fit ab vniuoco. *7. Metaph. T. 30. & 12. eiusdem T. 13.*

RESpectu agentis redditur verum, non respectu materiæ. Fit enim lutum ex aqua, & terra; inquit Arist. 1. *Phys. T.* 40. contra Anaxagoram, quæ sunt duo specie distincta, & per consequens non vniuoca ad vnum. Cæterùm de agente communicãte in materia cum passo, non de alio, propter quòd Cœlũ, queat animalia ex putri materia educere, & animare. Insuper de agente totali, non partiali. Tandem in naturalibus, & in ijs, quæ simpliciter fiunt, non in artificialibus, quæ aliquando sic, & aliquando non ab vniuoco fiũnt, ex 4. Metaph. T. 30. vndè, licet idea, quæ est domus in mente Artificis, non conueniat in modo essendi, nec in substantia eiusdem rationis physicæ cum domo extra, conuenit tamen in eadem ratione formæ intellectæ.

Omne quod exit de potẽtia in actum mobile est. *3 Phys. T. 6. & 9.*

CErtissimum, si exeat de potentia passiua, non de actiua, per actum liberũ, quo pacto exeunt omnia creata à potentia Dei; hinc Theologi communiter cum D. Thom. 1. p. q. 45. ar. 2. ad 2. & in de Potentia q. 3. ar. 2. dicunt creationem non esse subiecti mutationem, cùm non possit aliter se habere prius, ac post, eò quòd prius nihil erat.

Omne recipiens debet esse denudatum à natura recepti. *2 de Anima T. 71. & 3. eiusdem T. 4. ac 3 Cœli T. 67.*

INtelligitur secũdum actum, & speciem, nõ secundum potentiam, & genus: Insuper à natura recepti secundum illum

lum gradum, & qualitatem, quâ est recipiendum. Item verum est subiectiuè, non obiectiuè; obiectum enim, veluti finis, imprimit aliquod sui. Pariter verum est primariò, non secundariò. Deniq; verum de illo subiecto, quod est omnium indifferenter susceptiuum, veluti materia prima, & intellectus possibilis, non de illo, quod actu habet aliquam formalem naturam.

Omne mutabile mutatur in oppositum. *5. Phys. Tex. 48.*

VAldè clarum, est quoad terminum, non quoad qualitatem, & habitum, alioquin aer nunquàm esset mutabilis in ignem, neq; aqua in aerē: Insuper de mutatione integra, in qua, & vetus forma expellitur, & noua adipiscitur, non partiali, & quæ intentionis dicitur, vt suprà.

Omnis causa libera æget aliquo, à quo determinetur. *9. Met. T. 2. & 10.*

INtelligitur de causa libera secnnda, cuius prima deliberatio, & voluntatis determinatio est ab Auctore Naturæ, iuxtà Aristot. *in libro de Bona fortuna*, & D. Th. in 1. 2. q. 9. art. 4. non de prima, cuius intelligere est suum esse, & quæ nullo modo deliberat. Item aliquo intrinseco, vel extrinseco, non verò hoc tantùm, vel illo.

D. Th. in 1.2.q. 9. art.4.

Omnis existentia à forma est. *5. Met. T. 2.*

VLtra pensum certum est de existentia completa, & perfecta, non de incompleta, & metaphysica, qualem habet materia prima, ens incompletum ab Aristot. vocatum 7.

Met.

Met. T. 8. Itèm à forma substantiali directè,& per se,non &c.
SKOLION. Existentia completa est actus vltimus,& specificus rei, quâ, non tantùm res illa ponitur extra possibile, sed est talis specificè, & indiuidualiter, & ideò propriè datur primis substantijs. Incompleta est, quâ res tantùm ponitur extra nihil, & extra causas immediatè, sed non adhuc sortitur specificum esse, siquidèm includitur in ipsa entitate ratione essentiæ, quam nominaliter redolet, & datur communiter ab Interpretibus materiæ primæ, antequàm formæ substantiali specificatiuæ vniatur.

Omnis finis bonus est. *1. Ethic. cap. 1. & 7.*

PRo rato habetur de bono indiuiso in reale, & apparens, quoniam finis est, quem volumus,& quicquid volumus sub aliqua ratione boni volumus,ex 11. *Met. c.* 4. nō de bono simpliciter; Pariter Effatū verū de bonitate,vel vtili,iucunda, & honesta,sed falsū de honesta tantū:vide quæ sup.sunt d.I.B.

Omnis ignorans malus. *3. Ethic. cap.* 1.

VAlet hoc in electione, & motiuis, quoniam qui eligit, quod non est eligendum est malus, non malitiâ formali,positiua, aut simpliciter dicta: Cæterùm valet de eo,qui est ignorantiâ prauæ dispositionis ignarus,non puræ negationis, de qua suprà. Vlterius penès ea, de quibus ignorantiam habet, nec nititur à se tollere, non absolutè,

Omnis motus est inter contraria. *5. Phys. T. 19.*

SVbsistit ratione terminorum, non ratione subiecti; apparet etenim lucidè,quòd nō omnis alteratio est inter contra-

traria, siquidem alteratio intensiua est respectu eiusdem formæ, & respectu eiusdem formæ nequit esse contrarietas in subiecto, vt etiam in augmento apparet: Cæterùm de motu propriè dicto, qui physicus est, & successiuus, non de alio, vide infrà.

Omnis potentia passiua est contradictionis *9. Metaph. T. 17.*

INtelligitur de potentia passiua, quæ in generabilibus, & corruptibilibus est, non in alijs, vt putà in Cœlo: Itèm de potentia passiua reduplicatiuè, vt passiua, qualis est materia ad esse simpliciter, non ad esse secundum quid. Rursùs de ista passiua, non præparata, nec disposita ad aliquem actum, alioquin contradictionis non esset, quod dictu absurdum est.

Omnis potentia vitalis passiua est. *3. de Ani. T. 3.*

PRæcisè de potentia in ordine ad obiectum suum intelligitur, non in ordine ad effectum, quia sic & intellectus, & voluntas potentiæ actiuæ sunt. Itèm in recipiendo species, quoniam per Philos *3. de Anima T. 12.* omne recipiens patitur, vt supra, immutatur enim, & transfertur ab vno statu in alium, putà de potentia in actum *ex 3. dicto T. 4.*

Omnis res, aut est singularis, aut vniuersalis. *1. Perihier. cap. 4. & in Antepradic. cap. de Rebus.*

FIrmiter subsistit secundum fundamentum, non formaliter, quo pacto debet diuidi omne, quod est, iuxtà Aristot. 7, *Metaph. T. 49.* Vlterius subsistit de rebus, vt nominibus importantur, quoniam nomina, vel sunt singularia, vel vni-

vniuersalia, non absolutè de rebus siquidèm à parte rei non datur vniuersale 1. *de Anima T.* 8. vide supra dicta lit. D.

Omnis scientia agit necessariò de ente. *4. Metaph. cap.* 1.

VAlet vtiq; tanquàm de obiecto materiali, non formali; Insuper de scientijs realibus, non de rationalibus, istæ enim, quemadmodùm Logica, etiam ea, quæ non sunt, considerant, & formale obiectum habent rationale tantùm. Vel dicito de ente, aut reali, aut rationis, non reali tantùm; vide quæ suprà tacta sunt lit. E.

Omnis scientia est de genere bonorum. 1. *de Anima T.* 1.

PRocedit de scientiá secũdum se, quæ generaliter est perfectiua intellectus, non per accidens, siquidèm notitia quorundam mala est, ex eo, quòd est actio, & turpis actus alicuius, iuxta quam doctrinam aliquæ scientiæ prohibitæ sunt, quãdoquidèm per eas à melioribus retrahuntur fideles, & ideò, quod in se bonum est, efficitur alicui malum; vndè dicebat D. Aug. in Enkiridion cap. 17. melius est multa nescire quàm scire turpia, & vilia. Itèm de bono morali, non &c. *D. Aug. in Enki. c.* 17.

Omnis scientia necessariò vtitur principijs demonstrationum. 1. *Post. T.* 9.

PRoportionali modo vsurpatur, nõ solummodò de communibus, in sua cõmunitate sumptis, quæ remota principia vocantur, sed contractis, & modificatis; nàm sic vni determinatæ accommodantur, & propria fiunt, de quibus pro-

prijs debet esse demonstratio *ex 1. Post. T. 5.* non autèm absolutè, & sine contractione. Vlterius, non demonstrationum particularium, alioquin scientiæ confunderentur, sed communium, quæ tantummodò sunt Logicæ.

SKOLION. Demonstrationum planè varia sunt principia, sicuti varia sunt & ipsarum scientiarum; alia enim sunt primò prima, communissima appellata, & duo sunt, alterum *De vnoquoq; verum est affirmare, vel negare*; Alterum *De nullo simul est verum affirmare, & negare, ex 1. Priorum cap. vlt.* alia communia quidèm, at non primò prima, vt si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; Alia propria demonstrationum, prout à definitionibus, à syllogismis, alijsq; medijs ad sciendum, cōtradistinguuntur, & alia deniq; singularū reduplicatiuè propria, quatenùs determinatū medium terminum, vel obiectum, respectu scientiarum, respiciunt. Prima communissima supponuntur, siquidèm contradictionis lex, lex etiam est totius scibilis; secunda, & supponuntur, & modificantur; cùm enim per Arist. 1. *Post. T.* 30. non sit transeundum de genere in genus (qui transitus fit, cùm Demonstrator non vtitur principijs proprijs) necesse est talia principia contrahere, vt ad consonam proportionem cum tali, vel tali scientia adueniant, vt sumendo allatū principium si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, & addatur ei e.g. linea, & dicatur. Si ab æqualibus lineis æquales lineas demas, quæ remanent sunt æquales, valet pro Geometria; deinceps si ab æqualibus numeris æquales numeros demas, qui remanent numeri sunt æquales, valet pro Arithmetica. Propria postea sine reduplicatione sunt, quæ componunt ipsam demonstrationem, putà Axioma, Tekni, Hypothesis, Oristmi, id est dictum vniuersale, non negabile, positio, suppositio, & definitio. Propria deniq; reduplicatiuè sunt, quæ hanc, vel illam cōstituunt demonstratio-

tio-

rionem, & scientiam, & cum tali medio, & obiecto coniunguntur, vt secundæ intentiones respectu Logicæ.

Omnis scientia præsupponit suum subiectum esse. 1. *Post.cap.1.*

PRo certo est, quoad existentiam, & si est, non quoad essentiam, & quomodocunquè. Amplius de subiecto adæquato, non de inadæquato. Itèm, secundum Alios, si non sit prima scientia ordine originis, falsum autèm si sit prima, vt est ipsa Logica; vide, quæ supra habita sunt ex mente Auerrois, & Zimaræ in lit. D.

Omni potentiæ actiuæ correspondet passiua. 9. *Metaph. T. 2.*

PErfectè valet de naturali, quæ est actiua per motum, non de metaphysica abstracta à motu, & à materia. Item vbi est receptio intrinseca, non extrinseca: Insuper quando actiuæ est vltimus terminus passiuæ, non secùs. Cæterùm de potentia naturali, non Diuina, maximè, quæ absoluta est.

SKOLION. Duplex statuitur ab eruditis Theologis in Deo potentia, alia ordinaria, & alia absoluta. Potentia Dei absoluta est posse suum, absq; respectu aliquo, habito ad particulare Diuinum attributum, cum qua potest Deus absolutè quicquid habet rationem factibilis, & ideò illud, quòd non potest facere nostro modo sentiendi, dicitur impossibile, non propter defectum Diuinæ potētiæ, sed rei factibilis, quæ non est capax, vt Magister in Rethorica potest absolutè docere Rethoricam, at quòd non possit docere Equum, vel Asinum non est defectus potentiæ in ipso, at istorum Brutorum, quæ non sunt capacia doctrinæ: Potentia autèm ordinaria est, quę

ordinatur ad aliquod attributum tantùm, siuè sit iustitia, siu sapientia, siuè bonitas, &c. & sic potest Deus aliquid de potentia absoluta, quòd non potest de ordinaria; vt e. g. potest Deus de potentia absoluta omnes, quot quot in Paradiso sunt pœnis Purgatorij, aut Inferni condemnare, & è conuersò hos damnatos beatos facere, sed de ordinaria, putà considerando attributum iustitiæ, minimè: Sic peccatori pœnitenti potest Deus, de potentia absoluta indulgentiam negare, at de ordinaria, (considerato .s. attributo suæ misericordiæ) non, ita Armandus Bellouisius in Tractatu 2. de Transcendentibus capite 9.

Arm. Bell. Tr. de Trā. c. 9.

Omnis terminus mutationis est inter contraria. *2. de Ortu, & Interitu T. 56.*

INtelligitur verum quoad partes, non quoad totum; nàm ex eodem Philosopho 1. *Cæli T.* 87. motus Cęli & consideratur ratione totius, & ita se habet, vt ab eodem in idem, vel ratione partium, & ita est ab opposito in oppositum. Amplius respectu subiecti priuati formâ, quam postea adepturum est, non ratione termini tantùm.

Omnia, quæ fiunt causam habent. *5. Met. T. 2.*

VErificatur per se, aut per accidens; non per se tantùm: Insuper verificatur de ijs, quæ propriè fiunt, ac propriè entia sunt, non de alijs, & ratio est, quia fortuita, & casualia fiunt, & tamen causam non habent: Sic de ente rationis discurrendum secundum Logicos, quia propriè ens non est, nec propriè fit, at solummodò ab intellectu discursiuo existētiam suam, & esse suum trahit.

Om-

Omnia se inuicem tangẽtia actiua, & passiua sunt. *1. de Generat. T. 43.*

IN sublunaribus consistentiam habet, & in ijs, quæ apta sunt agere per qualitates alteratiuas, non de omnibus indifferenter, ita vt comprehendantur etiam Cœlestia, quæ se tangunt, & inuicem mutuò non agunt, neq; patiuntur: Itèm de tactu physico, siue suppositali, siue virtuali, non de mathematico; vide supra.

Omnia, quæ incipiunt esse aliquando desinent. *1. Cœli T. 127.*

FAmulatur veritati in ijs, quæ incipiunt esse per generationem, aut per primum sui esse, non per creationem, aut per vltimum sui non esse, sicuti sunt successiua. Itèm iuxta statum Naturæ, & penès habentia formam de sinu materiæ eductam, non de alijs, putà quæ per vires supernaturales conseruantur in esse, cum possit Deus quoduis corruptibile æternò conseruare.

Omnia, quæ mouentur materiam habent. *12. Metaph. T. 10.*

SVbsistit de illis, quæ mouentur per se, non per accidens. Amplius motu physico, & continuo, non metaphysico, & discreto, qualis datur Angelis, & à materia separatis, vt suprà. Itèm de materia totius secundum aliquos, quæ est vltima differentia indiuidualis rei, siue hekeitas, secũdùm Scotistas, non de materia partis, ita Antonius Roccus 1. Cœli q. 14. *Anton. Roccus 1. Cœli q. 14.*

Om-

Omnia, quæ prædicantur in quid, prædicantur per se. 1. *Post.* T. 10. & secundum aliam versionem T. 30.

Valet adæquatè de per se primo modo, quia vndiq; conuertuntur ista duo, non alijs tribus modis: Item per se, vt contradistinguitur accidentali conceptui, non per se perseitate primæ substantiæ tantùm.

SKOLION. Prædicari *in quid* est prædicari essentialiter, & per alteram ex partibus metaphysicis componentibus naturam, & quidditatem alicuius, quæ partes sunt genus, & differentia vltima, vt suprà in litera G. Prædicari autem *per se* est necessariò, & iuxta exigentiam talis subiecti prædicari, quòd euenit quatuor modis, vt luculentèr supra.

Omnibus delectabile est esse. 1. *Eth. cap.* 4.

Intelligitur de omnibus, quibus competit appetere, & desiderare, non de alijs, & in sensu absoluto; in tãtum enim aliquid delectabile est, in quantum est bonum; Et quia hoc, vel simpliciter, vel secundum quid est, proptereà non esse, (tanquàm bonum, secundum quid) aliquando delectabile potest esse, vt damnatis non esse. Ampliùs absolutè, non comparatiuè, vt infrà.

Omnia habentia positionem in loco sunt. 4. *Physic.* T. 34.

Liquidum manet de positione prædicamentali, quæ dicit ordinem partium per respectum ad motum, non de illa, quæ dicit situm tantummodò, nàm punctus dicit positionem, & non

& non est in loco. Item de positione materiali, & quantitatiua, non de vbicatiua solùm; vndè substantiæ separatæ sunt in aliquo vbi, & tamē non dicūtur liberè esse in loco, qui porrò locus definitus est 4. *Phys. T*. 3. superficies corporis, &c. at illæ nullâ donantur superficie: Cæterùm per se, & directè, non per accidens, & indirectè.

Omnes homines naturâ scire desiderant. *1. Metaph. T. 1. proœmiali.*

PRobè intelligitur de desiderio innato, non de elicito: Ampliùs quoad specificationem, non quoad exercitiū. SKOLION. Innatum desiderium est propensio naturalis vniuscuiusq; in suam perfectionem; Elicitum verò est, quod per electionem nostram, & cognitionem de re aliqua habetur, tali sensu, & cognitione, vt si non interfuisset cognitio, neq, ipsum fuisset.

Omnia vnius generis sunt. *4. Met. T. 2. & 3.*

IDentificatur veritati de genere scibili, nō de genere physico, & prædicamentali; constat enim substantiam non esse eiusdem generis cum accidentibus, & tamen illa, & ista sunt scibilia: Item vnius generis remoti, & lato vocabulo, siquidèm omnia, præter Deum, in hoc conueniunt, quod ab ipso dependent, non vnius generis proximi, & vniuoci. In hāc etiam collimat veritatem dictum Arist. 1. *de Ortu T*. 5 o. dùm ait omnia contraria esse eiusdem generis; patet enim, quòd non possunt esse vnius proximi, cum omne genus suam propriam, & determinatam habeat contrarietatem ex 1. *Physic. T*. 50.

Ope-

Operatio arguit formam. 1. *de Ani. T. 10. & 11.*

CLarissimum est de forma substantiali, quæ minus patet nobis ipsâ accidentali, & immediatè insensibilis est, nō de accidentali. Insuper de operatione stricto modo accepta, non latè, quæ alio nomine actio nuncupatur: Item principaliter, & vt quo non absolutè, &c.

SKOLION. Actio ab operatione in hoc distinguitur, quòd operatio est immediata, & proprijssima formæ; actio autem actus exercitus communis etiam alijs formis; propter quòd insufficienter subiecta per actionem distinguuntur, sufficienter autem per operationem, quæ immediatissimè à dicta forma fluit, vt e.g. in homine operatio est discurrere; actio verò ambulare, dormire, &c. quæ etiam alijs animalibus conueniunt: quare patet per operationem hominem à reliquis seiungi, minimè per actionem.

Operatio naturæ, est opus Intelligentiæ non errantis. *8. Phys. T. 51.*

INtelligitur actiuè de opere primo, & communi; est enim naturæ naturantis, quæ procul dubio errare non potest; minimè de alio opere, & alia natura, seù passiuè: Insuper per se, non per accidens, & ex euentu, quæ adhuc præter intentionem primi agentis, rerum fines optimè cognoscentis, & ordinantis non dicuntur à casu, at benè respectu aliorum.

Operationes omnes temperamentis obsunt. *Libro de Longit. & breuit. vitæ, ac Sect. Prob. 38. P. 7.*

VAlet vtique, quando citra statum naturalem fiunt, scilicet violenter, non quando naturaliter, idest iuxtà

pro-

propensionē, & inclinationem Naturæ: Itèm cæteris paribus, & in suo genere, non aliter; parùm enim discurrere non obest homini; multùm autèm fortè sic, sicuti & deambulare; si enim modica sit deambulatio vtilis est sanitati; si verò longa minimè.

Operationem voluptas perficit. *10. Ethic. cap. 4.*

IN recto valet de sensitiua operatione, non de intellectiua nisi accommodè, hoc est proportionali modo, & non per repugnantiam de aliquā specie, vt est honesta operatio, de qua in fine illius capitis ore rotundo dicit Aristot. æqualem habere appetibilitatem cum vita, & ideò, si vita iucunda, & voluptuosa est homini, ita & operatio honesta: Item, non in specie, sed in numero, quia, etiamsi fiat aliqua operatio cum dolore, tamen non amittit suam speciem actionis, dicitur tamen perfici in numero, quia agens promptius, & suauius agit, voluptate sibi præfictâ, aut illi addita, quàm opposito modo.

Oportet intelligentem phantasmata speculari. *3. de Anima T. 39.*

VAlet de intelligente discursiuo, qualis est homo, pro hoc statu viæ; anima namq; hominis non intelligit quicquam, nisi phantasietur illud, quòd vult concipere, ac iudicare, & formato hoc phantasmate (quod imago est rei sensatæ) vi intellectus agentis potest intellectum possibilem mouere, non de intelligente per species innatas, sicuti sunt Angeli, & Intelligentiæ.

SKOLION. Intellectum nostrum conuerti ad phantasmata in intelligendo, non est intellectū cognoscere ipsum phantasma (vt perperàm crediderunt Aliqui) siquidèm hoc sin-

gulare est, & non prius cognoscit intellectus noster singulare, quàm vniuersale *ex 1. Physic. T. 3.* sed est pati intellectum à phantasmate, & ab eo speciem intelligibilem ad intrà recipere, quæ receptio quædam continuatio, & conuersio est ipsius intellectus ad dictum phantasma, veluti illa, quà anima separata conuertitur ad superiora, recipiendo lumen intelligibile ab eis; quando enim quis, per vires proprias, aliquid moliri non potest, se conuertere necessariò dicitur ad ea, quibus potest postea illud conficere, & absoluere.

Oportet semper causam primam noscere. *2. Physi. T. 27. & 38.*

Minimè de causa causarum primò prima intelligitur Esfatum, quæ secundum Aristot. *12. Metaph. T. 39.* difficillimæ est cognitionis, sed de causa sciendi, de qua *1. Physi. T. 2.* & *1. Post. T. 5.* discurrit, dùm inquit scire est rem per causam cognoscere &c. Insuper in cognitionibus scientificis, & artificialibus, non dianoeticis tantùm.

Opposita, sicut mensura, & mensuratum, non contrariantur priuatiuè, sed relatiuè. *10. Metaph. T. 4. & 5.*

De illis, quæ secundum rationem formalem præcisè sic opponuntur, vt mensura, & mensuratum, non alio modo intelligitur, putà sub ratione proprietatis tãtùm, vt faciunt vnum, & multa, aut ratione modi, vt contingit in artificialibus, de quibus alter Auctoris labor sollecitus erit.

Ordo speciei ad speciem est per se intentus, non individui ad individuum. *3. Metaph. T. 11.*

DE qualitate ordinis suam retinet veritatem, non de materia ordinabilium, & ordinatorum; verus enim ordo est speciei ad speciem, vt propriè comparabilium; cùm enim ordo indiuidui ad indiuiduum excludat inæqualitatem ex eo quòd omnia eiusdem speciei supposita æqualia sint *3. Metaph T. 11.* perfectus, & proprius esse non potest: quapropter à Diuo Augustino ordo definitus est parium, dispariumq́, rerum, sua cuiq; loca tribuens congrua dispositio.

Optimi est optimum facere. *8. Ethic. cap. 10.*

PRocedit secundum sufficientiam potentiæ, nō secundum necessitatem; optimum namq; debet esse liberum, & liberum facit, quod vult, etiamsi optimum ipsum faceret: Amplius, vt ordinabile sibi, non aliter; propter quòd Deus alium Deum producere non potest, cùm de ratione Dei veri sit esse vltimum finem, qui porrò alteri non est ordinabilis.

Opus est in malis actum, & finem esse deteriorem potentiā. *1. Ethic. cap. 7. & 9. Met. T. 17.*

SEnsum rectum habet in moralibus in quibus actus vitiosi non perficiunt, sed lædunt, & fœdant, non in naturalibus, vndè frequenter in istis finis malorum naturalium bonus est: Amplius, quia finis specificat potentiam, & in humanis intentio mala non conspicitur, nec deridetur, sed executio mala, quia in hoc iudex humanus à iudice Deo distinguitur, quòd humanus de externis tantummodò iudicat, sed Deus, & de internis, & de externis.

Otiosum est, quod non consequitur finem, 2. Phys. T. 62. & 63.

IN summo veritatis est de fine, ad quem aliquid est ordinatum, non de alio, vt est Diuina bonitas respectu Creaturarum; non enim est propter ipsas, vt propter ordinatum, & debitum finem, benè autèm Creaturæ propter illam; vndè otiosæ essent Creaturæ, illius, aliquo modo capaces, si non consequerentur illam, non autèm ipsa Dei bonitas, si aliqua non extaret Creatura. Cæterùm absq; impedimento, non si tale intercedat.

P

Pars non prædicatur de toto. 5. Metaph. T. 30.

INconcussum est de parte in abstracto sumpta, non in concreto, & denominatiuè, propter quòd secundum crispitudinem capillorum totus homo dicitur crispus: Cæterùm currit de parte reali, & physica, non de rationali, seù logica, qualis in dicto textu dicitur ab Arist. genus respectu speciei. Prætereà de toto integrali, nàm digitus non est manus, non de formali, & metaphysico; siquidèm differentia vltima dicitur pars totius metaphysici, & tamen prædicatur de toto.

SKOLION. Pars realis physica est, quæ subiectiuè sumitur, & nil connotat, in quo, aut cum quo sit; hinc homo, nec caput, nec anima, nec caro est. Logica postea est, quæ significat rem, cui coniuncta est, aut coniungibilis, & adiectiuè exprimi solet, vt dicendo homo est animal. Additur & metaphysica, quæ .s. cum alia quidditatem rei ingreditur, & est, vel genus, vel differentia, vt supra.

Pars

Pars eſt prior toto. 5. *Metaph. cap.* 25.

INtelligitur de prioritate originis, & naturæ, non perfectionis: ſimiliter de toto abſoluto, non reſpectiuo; quæ enim relatio cadit inter totum, & partes, inſinuat neutrũ eſſe prius alio, vt litera C. de cauſa, & effectu ſecundò intentionaliter eſt dictum.

Partes definitionis ſignificant partes rei. 7. *Metaph. T.* 33.

VAlet de definitis ſubſtantialibus, & completis, non de accidentalibus, & incompletis; quare non valet partes definitionis lineæ ſunt puncta; ergo linea conſtat ex punctis: Item fundamentaliter partes definitionis à partibus rei ſumuntur, non formaliter, itaut ſint eædem partes rei, nõ enim animal eſt pars hominis, neq; rationale, ſed ſola anima, & ſolum corpus.

Partes definitionis pertinent ad cauſam formalem 7. *Metaph. T.* 34.

INtelligitur hoc principaliter, non totaliter, & adæquatè; eſt enim definitio ex genere, quod dicit materiam, & ex differentia, quæ dicit formam ex Ariſtot. 8. *Metaph. T.* 6. Rursùs qatenùs dicũtur partes definitionis ad formalem ſpectare, pro vt natura ſpeciei conſtituta ex materia, & forma ſe habet, vt formalis reſpectu indiuidui, quod participat eandem naturam, non vt materialis.

Partes definitionis prædicantur de re definita. 1. Topic. T. 4.

DE partibus præcisè, vt partes sunt, nò intelligitur præsens Effatum, sed vt quædam tota, quæ confusè continēt, quicquid in definito reperitur: Itē non æq; immediatè, sed vel mediatè, vel immediatè, siuè proportione seruatâ, vt infrà: Genus enim directè modo logico, non sic differentia.

Partes ponuntur in definitione totius, vt priores, minimè totū in definitione partiū. 1. Phys. T. 29.

APprimè verum in absolutis, non in relatiuis, quoniam sic pater ponitur in definitione filij, & non est prior filio: Item, quia partes constituunt & totum constituitur, non est autem constitutum ponendum in definitione constituentis, quia neq; posterius in definitione prioris.

Paruus error in principio, fit magnus in fine. 1. Cœli T. 33.

VErum vtique, nisi corrigatur, secùs falsum: Insuper directè verum in moralibus, non in naturalibus tantùm, in quibus facilè potest remitti, ob maiora superanda: Prætereà, si sit ex parte formæ, non materiæ tantummodò, aut ex parte extrinsecorum.

Parua paruis iuxta posita citiùs, ac melius commiscentur. 1. de Gener. T. 70.

DIspositiuè, & materialiter intelligitur, non effectiuè; ab ipsis enim, non formaliter pendet mixtio, sed ab agē-

te

te externo alterante: quòd si vult vti medijs congruentibus opus est; vt illis ad minima ductis vtatur: sic panis, quo alimur, ex tritico ad minima ducto à Molitore optimè fit, & similiter oxisaccharum ex attrito saccharo, & aceto.

Passio est in concupiscibili. *1. Physs. cap. 1.*

DE passione sensitiua, & appetitiua subsistit Effatum, non immutatiua potentiæ per obiectum, hoc est, quæ cadit in actu receptionis specierum ab obiecto emissarum, quia sic perperàm Aristot. 3. *de Anima T. 2.* appellaret intelligere quoddam pati: Insuper subsistit de illis passionibus, quæ non habent rationem ardui, quæ scilicet sunt in irascibili, secùs autèm de alijs, &c.

Passionibus etiam sapientes subsunt. *1. Ethic. c. 3.*

VErum est, non vt passiones deflectunt à ratione, sed vt ordinantur ab ipso intellectu, quia sic ad Virtutes attinent, quemadmodùm primo modo ad vitia; quæ sanè distinctio Stoicorum euincit insaniam dicẽtium sapientem debere vacare à passionibus. Itèm passionibus naturalibus omnibus, non autèm animi cunctis, cùm sciant retundere, &c.

Passionibus, nec laudamur, nec vituperamur. *2. Ethic. c. 5.*

SVmitur verum per se, quia passiones non sunt in nobis propriè, iuxta illud D. August. 14. de Ciuit. Dei cap. 4. Passionibus inuiti cedimus; hinc est, quòd passiones corporales Martyrum non faciebant quicquam ad meritum, nisi vt volitæ, non per accidens, & consecutiuè. Item de passionibus *D. Aug. 14. de Ciu. Dei cap. 4.*

purè

purè naturalibus, non animi, seù moralibus; liquet .n. quòd per tolerantiam passionum animi, &c. aliqui laudantur.

Per eadem corrumpuntur odor, & sapor. *1. de Sensu, & Sensibili cap. 4.*

MAterialiter, & effectiuè intelligitur videlicet per frigus, & congelationem; extenuantur enim à frigore odores, & hebetantur ab eodem sapores, sed non formaliter, & eodem modo; vndè, nec eodem pacto à calido contrario efficiuntur, siquidèm calidum coniunctum cum sicco aereo producit odores, & cum terrestri sapores.

Perfectũ est naturâ prius imperfecto. *1. Cæl. T. 12.*

PRocedit de priori respectu totius Naturæ, nõ in particulari; particularis namq; res primò imperfecta fuit, deinceps perfecta, spectato simplici ordine Naturæ: Itèm quia prius est causa externa, quàm interna, externa autèm perfecta est, cùm non habeat rationem componentis, & partis, sicuti interna, propter quòd Deus externa causa est, vt patet per totum librum de Causis.

Perfectum est, quod nullo alio indiget. *1. Cæli T. 3.*

DE perfecto simpliciter postulat intelligi, non in genere, vt est relatio, quæ indiget termino, subiecto, & fundamento. Insuper de perfecto physico, non metaphysico tantùm, nisi proportione seruatâ, quod etiam de perfecto in genere dici potest. Itèm, vt sit, non vt operetur (nisi fortè dicatur principaliter) quia constat primas substantias esse perfectas, & tamen, vt operentur indigent accidẽtibus, vt sup.

Per-

Perfectum est, quod tale alterum, quale ipsum est efficere potest. *2. de Anima T. 34.*

POtissimè in genere moris habet verificari,& quādo illud alterum factibile est, minimè si non est factibile, &c. hinc Deus manet,& mansisset semper omninò perfectus,estò alium Deum non produxerit. Amplius intelligitur verum in corruptibilibus, quibus vis generatiua data est,vt secundum speciem conseruentur, cùm non possint in indiuiduo conseruari; quocircà experimur Solem perfectum, etiam si alium Solem similem sibi non producat.

Perfectum est, cui nil potest addi. *3. Phys. T. 63.*

VAlet in suo genere, & ideò non de primo perfectissimo, quale est ipse Deus, in omni ordine, & genere summè completus; hinc perfectæ lineæ nihil deest lineæ, benè autèm aliquid superficiei; sic perfectæ superficiei nihil deest superficiei, benè autèm aliquid corporis: Insuper currit de perfecto, vt toto, & ex parte materiæ, & ex parte formæ, non de perfecto partiali, cui deest ratio totius.

Pœna finis est culpæ. *3. Rhetoric. cap. 10.*

SVam retinet veritatem, quantùm ad terminationem iustitiæ requisitam, non quantùm ad intentionem,quia nemo intendens ad malum operatur,vt suprà ex primo Magnorum moralium,& ex D.Dionysio secundo de Diuinis Nominibus. Cæterùm ex institutione, & gratiâ correctionis, non ex ordine naturali; quocircà in genere moris propriè verum, non in genere Naturæ, si aliqua tamen culpa in hoc reperiri possibilis est.

D. Dionys. 2. de Diuinis Nomin.

Hh Phan-

Phantasticum, & memoratiuum sunt passiones primi sensitiui. *In de Paruis naturalibus, de memoria, & Reminiscentia cap. 1.*

INtelligitur hoc, non immediatè, sed mediatè; sicuti enim vna potentia oritur ab anima, mediante alia, ita quoque anima subijcitur vni potentiæ, mediante alia, & tali modo phantasticum, & memoratiuum dicuntur passiones primi sensitiui. Itèm passiones primi sensitiui, quia istud est radix phantasiæ, & memoriæ, siquidèm actus eius præsupponitur ad actus istarum, veluti nutritiua radix augmentatiuæ, & generatiuæ, non autèm, quia identificentur cum illo, cum sint sensus interni realissimè distincti *ex 2 de Anima T. 156.* & passio nunquàm diuiditur contra subiectum.

SKOLION. Primum sensitiuum (quicquid dicant Alij Peripatetici de corde) est sensus communis, cuius est iudicare de omnibus sensibilibus. Sensus namq; proprius, vt visus, iudicat de proprio obiecto, discernendo ipsum ab alijs, quæ cadunt sub eodem sensu, putà à viridi, à rubeo, nigro, &c. sed discernere album à dulci, ab acuto, &c. non est visus, nequè alterius proprij sensus, benè autèm ipsius cōmunis; ad quem etiam referuntur, (veluti ad communem terminum) omnes apprehensiones sensuum externorum, vt cùm quis videt se videre, siquidèm impossibile est hoc fieri per sensum particularem, qui non potest agnoscere, nisi formam sensibilis à quo immutatur, dicente Aristotele 2. *de Anima capite de Sensu communi.*

Præ-

Præmissæ demonstrationis debent esse necessariæ. 1. *Post.T.5.7.& 15.*

REctè procedit de præmissis demonstrationis ostensiuæ, non quæ ad impossibile est. Cæterùm de demonstratione ostensiua propter quid, non quia. Rursùs quantùm ad habitudinem terminorum, non quantùm ad substantiam vocis; constat enim, quod præmissæ prolatæ pereunt, nec reiterari aliquo modo possunt; sicuti benè quantùm ad habitudinem specificam, & repræsentationem.

Plures formæ possunt esse simul in eodem intellectu. *3. de Anima* T. 38.

VErum est, vt in habitu, non vt in actu; quapropter in *2. Topic. cap.* 4. vt suprà ait contingit multa scire, & vnum intelligere, hoc est contingit multos habitus partiales variarum conclusionum subalternatarum simul habere, at vno actu solùm vnũ intelligere: Amplius per modum vnius, non plurium, vt in lit. C. & F. tactum est.

Plurificatâ causâ plurificatur effectus, cùm relatiua æquo modo multiplicentur. *1. Topic. c. 12.*

VAlet hoc de causa intrinseca, non de extrinseca, putà de efficiente, & fine, nisi fortè ipsa efficientia subordinationem habeant: quapropter duo ignes possunt eundem specie calorem producere, & è conuersò vnus ignis duos calores, in diuersis tamen subiectis. Cum his clarescunt duo alia Effata de mutiplicatione eadem Relatiuorum, & Oppositorum, quia valent, vt reduplicatiuè sunt talia. Item in specie, non &c.

Ponens differentiam inter duo debet cognoscere illa duo. *2. de Anima T. 146.*

VErificatur secundum quædam superius data, vel confusè, vel distinctè, non distinctè solùm, nec confusè solùm,& ita facit intellectus noster, quando ponit differentiam inter Deum creatorem, & creaturã, inter finitum, & infinitũ: Insuper, quando illa duo sunt eiusdem ordinis, secùs minimè.

Possibile ex se esse non potest ab alio perpetuari. *12. Metaph. T. 30. & 1. Cœli T. 120.*

ADæquatè intelligitur in substantijs, non in accidentibus, videmus enim motum Cœlorum possibilem ex se, & tamen ab Intelligentia perpetuatur, iuxtà ea, quæ docet Aristot. *9. Metaph. T. 17.* & *12. eiusd. T. 41.* Itèm naturali ordine,& virtute, non supernaturali,& æterna, nàm & fluxum Maris à Luna perpetua perpetuò fieri videmus, inspice lit. C.

Possibili posito in esse nullum sequitur impossibile. *8. Phys. T. 36.*

QVantum est ex se verum est; minimè verò, si adsit suppositio in contrarium, propter circunstantias, quòd clarè euenit de futuris contingentibus, quæ ex suppositione futuri sunt euentura, estò ex parte causæ liberæ possint non euenire.

Positâ causâ ponitur necessariò effectus. *2. Phys. T. 89. & 5. Met. T. 2.*

SEcundò intentionaliter, quo pacto sunt inuicèm relatiua requirit intelligi, non primò, quia sic causa præcedit, & effe-

effectus subsequitur. Amplius verificatur de causa sufficienti, & adæquata, non insufficienti, & partiali. Rursùs de necessitate consequentiæ, non consequentis.

SKOLION. Necessitas consequentiæ est, quando in arguendo vnum ex alio sequitur, vt e.g. si video Petrum legentem, necessariò Petrus legit, quæ sanè oratio necessaria est, eò quod rectè, & probè per logicam inductionem infertur, si video Petrum legentem, ipse necessariò legit, cùm connectatur actus videndi cum illo obiecto viso: Consequentis postea necessitas est, quando res in se necessaria est, itaut necessitas eius nõ pendeat ex aliqua illatione, vt e.g. hominẽ esse risibilem, aut capacem disciplinarum. Cùm ergo rectissimè inferatur causa est, ergò effectus ponendus est relatiuus illi, & causatus ab ea, sequitur necessitate consequentiæ, quòd positâ causâ ponatur effectus, sed non necessitate consequentis, cùm res in se non sit necessaria, & intrinsecè connexa, vt risibilitas dicta cum homine; at solùm ex suppositione antecedentis, quòd causa sit, & ab ea emissus influxus ab aliquo recipiatur.

Possunt motus specie diuersi continuari. *5. Phys. T. 41.*

VErum est respectu temporis extrinseci, itaut inter eos nullum mediet tempus, quoniam ait in *T.* 40. *citati* 5. quod potest quis, postquàm cucurrerit immediatè febricitare, non autem ratione formæ, cuius à priori ratio est, quia continuitas motus nõ distinguitur realiter ab ipso motu, nec vtrumq; horum à forma, cùm motus sit forma in continuo fieri, & diuersæ formæ specie intrinsecè non continuantur, cum careant extremis, & in hoc sistit diuersitas successiuarum formarum à pluribus permanentibus, quòd successiuæ, ratio-

tione quanti possunt continuari, non verò illæ, & tali modo contingit respondere Arist. 5. *Metaph. T.* 9. dicenti vinum cum aqua cõtinuari posse, .s. ob formã remotam liquiditatis.

Potentia est principium transmutandi alterum, quatenùs alterum. 5. *Metaph. cap. de Potentia, & 9. eiusd. cap. 1. T. 2.*

Valet de potentia naturali actiua, non de supernaturali, omnis enim naturalis potentia est cum motu, qui sine subiecto esse non potest; at supernaturalis, cùm infinita sit, est sine motu, & sine alio subiecto. Insuper valet de naturali actiua, non de passiua, qualis est omnis vitalis potẽtia, vt suprà, & potentia contradictionis, quæ in materia est; vitalis tamen in recipiendo, non in iudicando.

Potentia, & actus sunt in eodem genere. 9. *Metaph. cap. 1. & 2.*

Caetan. 2. de an. t. 23. Famulatur veritati, quando potentia essentialiter ordinatur ad actum, vt exponit Caetanus sup. T. 33. 2. de anima, non in omnibus casibus, & absolutè. Cæterùm verificatur de actu entitatiuo, & potentia logica, non de physica, & potentia obiectiua. Insuper reductiuè, & diuerso modo, non eodem, & per eandem differentiam.

Potentia, & actus sunt duo opposita. 9. *Met. T. 4.*

Relatiuè hoc debet intelligi, non positiuè. Item ad idem relata, quoniam idem non potest esse in actu, & in potentia, minimè si ad diuersa referantur. Insuper tanquàm extrema generis, non alio modo, putà, vt vnum inchoamentum est alterius; & illi subordinatum, vt infrà. Po-

Potentia manifeſtatur per actum. *9. Met. T. 6.*

TRitum, & certum eſt de potentia agentis vniuoci, quæ tota clareſcit, in ſuo effectu; non de potentia agentis æquiuoci, vt eſt Sol reſpectu generationis vnius animalis tantùm, ſicuti eſt Deus Opt. M. reſpectu omnium, qui, licet potentiam habeat infinitam, nunquàm tamen ad extra effectum producit infinitum, vt ſuprà.

Potentia, quæ poteſt in plus poteſt, & in minus. *1. Cœli T. 116. & 117.*

PRobè intelligitur de potentijs actiuis, non de paſſiuis: Inſuper de naturalibus, & corporeis, non de vitalibus ſenſitiuis, & intellectiuis; non enim ſequitur Petrus ſurdus poteſt videre, quod eſt maius; ergo, & audire, quòd eſt minus. Prætereà extenſiuè, non intenſiuè. Rurſùs in potentijs eiuſdem ordinis in ſubſtantialitate, eo .ſ. pacto, quo vegetatiuum eſt in ſenſitiuo, non in ijs, quæ ſunt diuerſi ordinis, propter quòd anima, licet ſit nobilior virtus, & forma, quàm forma elementi, & ipſum corpus, quod eam recipit, adhuc tamen non poteſt id, quod poteſt corpus, & forma elementi, nimirùm ſupplere pro illis. Tandem in ijs, quæ dicunt perfectionem, & nullo ex requiſitis deficiente, ſecùs falſum, vndè eſt, quòd Angelus nequit intelligere per phantaſmata, ſicut intelligit homo, & tamen hoc minus eſt.

Potentiæ rationales ſe habent ad contraria. *9. Metaph. T. 3.*

FÆliciter incedit in ijs, ad quæ non ordinantur naturaliter, non in illis, ad quæ propenſionem habent naturalem;

lem; vndè eſt, quòd intellectus non poteſt non aſſentiri principijs naturaliter notis; & ſimili modo voluntas non poteſt non adhærere bono, inquantum bonum, cùm in ipſum bonũ naturaliter ordinetur, vt in ſuum obiectum: Item in actu ſignato, non in actu exercito, quòd dixerunt Alij antecedẽter, non conſequenter; dùm enim quis ſcribit, non poteſt nolle ſcribere, quamdiù tamen ſcribit: ſiuè ante electionem, non poſt; quoad exercitium, non quoad ſpecificationem actus.

Potentię ſpecificantur per actus, & actus per obiectum. *2. de Anima T. 33.*

POſtulat accipi de actu formali, & proximo, non de materiali, & remoto. Ampliùs reſpectu noſtræ cognitionis, quæ à poſteriori naturas rerum indagatur, nõ in ſe. Cæterùm extrinſecè, non intrinſecè, quia, præciſo colore, potentia viſiua eſt. Tandem de illis actibus, qui habent complemẽtum ab obiectis, non de alijs alterius cenſus, vt ſunt actus Diuini.

Primum, quod eſt menſura reliquorum eſt in eodem genere cum ijs, quorum eſt menſura. *10. Metaph. T. 2. & 5.*

SVbſiſtit de menſura adæquata, & quæ non excedit ipſa menſurata, non de inadæquata, & excedenti, qualis eſt Deus reſpectu omnium: Itèm de vniuoca reſpectu eorum, quæ ſunt vnius generis, analoga poſtea reſpectu aliorũ. Vel dicito in eodem genere, latiſſimo vocabulo, putà in ente, quoniam ſic quæcunq; nihilo opponuntur in eodem dicuntur genere, non ſtricto vocabulo, & logicè.

Pri-

Primum in quouis genere pręstantius est ijs omnibus, quæ sunt in illo. *12. Metaph. T. 34. & 37.*

CErtitudinem habet in ratione causæ, non in ratione entis. Cæterùm in concretis, non in abstractis; vndè si daretur albedo abstracta, ista porrò esset nobilior ipsâ quantitate, quæ est genus generalissimum. Vlteriùs valet in eo, quòd participant illud tale, vt e.g. bonum est maximè tale in omnibus participantibus bonum, quà ratione participant, non absolutè, vt quando res sunt bonæ per proprias bonitates, ita docet Caetanus 1. p. q. 2. art. vltimo. *Caetan. 1. p. q. 2. art. vlt.*

Primum mutatum esse, in eo, quod primum mutatum, est indiuisibile. *6. Phys. T. 44.*

MAncipatur veritati, si sit in actu vniformiter, minimè si difformiter.

SKOLION. Vniformiter esse in actu importat, vt terminus, & principium motus coincidant: Difformiter postea esse in actu est vnum esse in potentia formali, & in actu virtuali, vel è conuersò in potentia virtuali, & in actu formali, quo pacto appellant Aliqui materiam primam indiuisibilem actu, & diuisibilem virtualiter.

Prima contraria sunt vnũ, & multa. *4. Met. T. 6.*

VSurpatur de contrarijs reductiuè, non formaliter, quo pacto contrariantur forma, & priuatio, & ea, quæ sub genere aliquo determinato sunt: Item transcendẽtali modo, non prædicamentali, siquidèm prædicamentalis oppositio, eam, quæ est vnius, & multorum supponit, vt sup. tactum est.

Prima agentium causarum agit totâ suâ potentia. *8. Phys. T. 48.*

Rectè procedit de potentia Agentis vniuoci, quæ tota manifestatur in effectu, nõ analogi, cuius effectus semper minor est potentiâ efficientis, & ratio à priori est, quia illa ordinatur ad finem sibi extrinsecum, hæc autem ad se ipsum: Item de agente primo naturali naturaliter operante, non de supernaturali, & libero: Insuper, vel quoad rem effectus, vel quoad modum, & sic Deus verum primum Agens creãdo vtitur modo infinito, licet infinitũ effectũ non producat.

Prima creatarum rerum est esse. *In libro de Causis Propositione 4.*

Svmitur verum, prout ly *esse*, importat rationem obiecti creationis, nàm ex eo dicitur aliquid creatum, quia ens est, non ex eo, quòd est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali, non vt importat substantiam creatam, aut particularem existentiam.

Prima causa mouet mobile primũ. *2. Cæli T. 36.*

Approbatur de illa, quæ mouet per modum efficientis, non finis, & amati; duplex namq; est motor primi Orbis, sicuti & aliorum Cœlorum, secundum Arist. in 12. *Met. T. 36.* Vnus, qui mouet per modum finis, & amati, & hic est Deus; alter per modum efficientis, & iste mouet per modum amantis, & desiderantis ab ipso fine moti, sicuti Intelligẽtia. Quòd si hæreat quis animo, vt etiam credat Aristot. voluisse primum motorem simpliciter, & immediatè mouere Cęlum primum; per quãdam virtutis appropinquationem, & primariam

riam influentiæ ſuſceptionem dicat mouere, non aliter, ita D. Tho. in 12. Metaph. lect. 7
reſpondet D.Tho. in 12. Metaph. lect. 7.

Principium eſſendi eſt etiam principium cognoſcendi. 2. *Metaph. T*.4.

EX parte rei cognitæ veritatem poſſidet, ſiquidèm per ſua principia vnumquodq; cognoſcibile eſt, & ſcibile, dicente eodem Ariſto. 1. *Phyſ. T*. 50. ignoratis principijs neceſſe eſt cuncta ignorare, non ex parte cognoſcentis. Item remotum, & fundamentale principium, non proximum, & formale, quandoquidèm materia eſt principium eſſendi, & ſecundum Ariſt. minimè, ſe ſolâ, principium cognoſcendi.

Principium eſt magis ens, quàm principiatum. 5. *Metaph. T*. 3.

VAldè tritum eſt ſecundum quid, quoniam principium eſt ſimplex actus; principiatum verò potẽtia cum actû. Inſuper intelligitur de ly magis, vt cõnotat prioritatem cauſalitatis, non entitatis, & exiſtentiæ, ſeù ſimpliciter, & omni modo. Prætereà verum de principio, quod etiam cauſa eſt, vtpotè continens virtualiter effectum; non de eo, quod non eſt cauſa, propter quòd vnitas non eſt magis ens, quàm numerus, neq; punctus magis ens, quàm linea, cũ hæc duo principia ſint dictorum, at non cauſæ.

Principium, & principiatum relatiuè dicuntur. 5. *Metaph. T*. 1. & 20.

VAlet directè in naturalibus, & creatis, non in Diuinis, in quibus Tò principiatum imperfectionem ſonat, licet

pro eo satisfaciat id, quod ab alio procedit: Ampliùs secundò intentionaliter, & in qua ratione precisè sunt principium, & principiatum, non primò intentionaliter, & extra talem descriptam rationem.

Principium in cognitione est finis in operatione. *2. Phys. T. 89. & 3. Ethic. cap. 3.*

Ancillatur veritati in operabilibus tantùm, non in consiliatiuis: Item in cognitionibus naturalibus, non in moralibus, atquè contemplatiuis; quandoque enim, & propter honestatem, & propter verum finis cognitus, non habet practicum terminum, neq; continet executionem; quinimò Mathematicæ ipsæ contemplationes clarè hoc indicant ex *Philos. 2. Metaph. cap. 2.* cùm dicantur esse sine fine. Rursùs cæteris paribus, non imparibus.

Principiũ mutabilitatis est materia. *1. Cœl. T. 136.*

Currit de mutabilitate secundum esse, non secundum intellectum, & voluntatem, quæ potentiæ liberæ sunt, & ideò datur substantijs spiritualibus ad differentiam primæ, quæ solis materialibus, & corporeis accommodatur: Insuper, non de materia sola, at de ipsa simul cum priuatione, siquidem videmus Cœlum habere materiam, & non mutari quoad esse.

Principium primum, vt certissimum, non est distinguendum. *4. Metaph. T. 8.*

Iustè intelligitur de primo principio cognitionis nostræ, non existentiæ, quale est ipse Deus, qui porrò in natura Dei-

Deitatis indiſtinguibilis eſt, & ſimpliciſſimus, benè autem in hypoſtaſes. Rursùs valet de primo principio, vt ſimpliciter notiſſimo, & firmo, non quatenùs docibile Tyrones, ſaltèm quoad applicationem terminorum. Vel dicito realiter indiſtinguibile, benè autẽ virtualiter, & ſecũdum cõſiderationẽ.

Principia in nulla ſcientia probari poſſunt. 1. *Poſt. cap. 2. & 9.*

CErtum eſt à priori, & per cauſam; cùm enim prima ſint, nil ante ſe habere poſſunt, per quod demonſtrentur, non à poſteriori, ſcilicet per effectus. Inſuper verum de principijs cognoſcendi abſolutè, & in omni ordine, ac genere, nõ de principijs eſſendi, & in aliquo ordine tantùm. Vlteriùs per demonſtrationem accuratam, non per quamuis aliam, ita Craſſotius in Præludijs Phyſ. cap. 5. *Craſſ. in Prælud. Phyſ. c. 5.*

Principia indemonſtrabilia non cognoſcuntur per medium. *1. Poſt. T. 6.*

INtelligitur hoc de principijs immediatis demonſtrationis, quæ tantummodò exigunt notitiam exprimentalem, putà ſenſitiuam ratione cognitionis terminorum, licet non ratione complexionis eorundem, non de mediatis, & remotis. Item per medium pariter demonſtratiuum, & à priori, non de alio medio.

Principia non poſſunt eſſe falſa. *1. Phyſic. T. 50. & 1. Poſt. T. 5.*

TRitum manet de principijs primis communiſſimis omnium ſcientiarum, non de hypotheſibus, ac principijs par-

particularibus,quoniam super ista,etiam immediatè fundantur opiniones possibiles esse falsas. Rursùs verum,etiam de istis, vt congruunt communissimis iam dictis, non liberè, & absolutè, quod dicitur in omni genere.

Principia non fiunt ex alijs. *1. Physs. T. 41.*

VAlet, tanquàm ex parte, non tanquàm ex termino intrinseco. Ampliùs de illis, quæ sunt in eodem ordine, & genere, non in alijs; quocircà principia Physicæ non sunt ex alijs physicis, at benè ex alijs, putà Logicæ, vel Rhetoricæ: Cæterùm de intrinsecis, non extrinsecis.

SKOLION. Fieri aliquid ex intrinsecis stat dupliciter, vel tanquàm ex partibus subiectiuè, vel tanquàm ex aliquo eiusdem rationis cum illo: primo modo negatur aliquod principium intrinsecum fieri ex suis veris partibus, quæ, secundum Scotum, realiter differunt à toto; secundò autem modo minimè, & propter hoc materia non fit ex suis partibus, tanquàm ex subiecto, sed tanquàm ex aliquo eiusdem rationis cum alia comparte.

Principia per accidens non sunt principia mutationis. *5. Phys. T. 6.*

VErificatur de principijs, vt dicunt causam influentem, non ordinem tantùm; licet enim priuatio, quæ est principium per accidens respectu constitutionis rei, non ingrediatur substantiam eius; per mutationem tamen, vt dicit ordinem ad Naturam, & ingreditur veritatem talis principij. Vnumquodquè, quod fit, fit ex contrario 1. *Phys. T.* 47. vtiq; principium est per se mutationis: Item de intrinsecis totaliter, & quoad fieri, & quoad factum esse, non de extrinsecis solùm, & quoad factum esse. Prin-

Principia quæque ſimplicia ſunt. *2. de Ortu T. 22. & lib. de Cauſis Prop. 21.*

EVidens eſt de principijs eſſendi ſyncathegorematicè ſumptis, non de principijs cognoſcendi, & ſcientiarum; cùm enim ex ſubiecto, & prædicato cõſtent, & inſuper enunciẽtur complexa oratione ex *Philoſ. 1. Priorum cap. 1.* ſimplicia eſſe non poſſunt, ita Ioannes de Magiſtris. Cæterũm comparatiuè ad principiata, non alio modo.

Principia ſenſibilium ſunt ſenſibilia. *3. Cæli T. 61.*

SVbſiſtit de principijs proximis, & immediatis, non de remotis; ſiquidèm materia, & forma ſeorsìm non ſunt ſenſibiles, & tamen ſunt principia ſenſibilium *ex 1. Phyſ. T. 51.* & ſequentibus vſq; ad 58. vide, quæ ſupra habita ſunt lit. E. de principijs mortalium.

Principia ſcientiarum non habent cauſam. *1. Poſterior. cap. 10.*

STat verum de cauſa certitudinis per ſe, & euidentiæ non de cauſa aſſenſus, quæ eſt lumen intellectus cuncta ſcibilia præcedens. Amplius verum de ſimplicibus, quæ non ſunt in alia reſolubilia, non de complexis, cùm iſta habeant cauſam cognitionis, vt alibi dictum eſt.

Principiorum, quæ æterna ſunt, nulla eſt cauſa. *8. Phyſ. T. 15 & 1. eiuſd. T. 42.*

SVbſiſtit de cauſa eſſendi, non cognoſcendi tantùm; Itèm nulla cauſa materialis, quæ .ſ. primò fuerit priuata aliquo eſſe,

esse, non de efficienti, & finali; Cœlestia namq; & elementa principia sunt inferiorum mixtorum, ac æterna; & tamen causam habent efficientem, & finalem, cognitam etiam ab Arist. .s. Deum. Insuper proportionatè, & adæquatè valet de principijs æternis (si quæ sunt plura) æternitate imparticipata, vt est Deus, non de alijs: Vide, quæ suprà dicta sunt de essentijs rerum literâ E.

Propria passio nequit à subiecto separari. 1. *de Ortu T.* 11.

VLtra æstimationem certum est de separatione reali, & subiecto primò intentionaliter sumpto, non de separatione logica, quæ abstractiua, & intentionalis dicitur. Ampliùs certum de separatione positiua, non priuatiua.

SKOLION. Positiua abstractio est per secundam mentis operationem; priuatiua autèm per primam. Vide superius dicta literâ A.

Procedens diuersum est à procedente. 7. *Metaph. T.* 28.

SImili modo Effatum hoc intelligitur, putà de procedente per processum transeuntem, & a dextra, nõ per intelligibilẽ, iuxta quem, quantò magis aliquid procedit, tantò magis est vnum, cum eo, à quo procedit. Cæterùm, vel secundũ relationem, vel secundum naturam, non necessariò secundũ naturam, & ita filius in Diuinis procedens à patre, relatiuè a b illo distinguitur, at non secundum substantiam, & naturam, cùm sint eiusdem prorsùs essentiæ, & Deitatis.

Pro-

Proprium est viuentium à se ipsis moueri. 8. *Phys. T. 29.*

VSurpatur verum de motu in communi, vt totius, non in particulari, aut partium tantùm, cùm multa sint viuentia, atque animalia, quæ non mouentur localiter (de quo motu procedit Textus) licet benè moueantur motu augmenti, decrementi, ac voluntarij, vt infrà literâ Z.

Proprium primò inest speciei, quàm indiuiduis. 5. *Topic. cap. 3.*

NOn dubiè intelligitur de subiecto conuenientiæ, quoniam proprium proximè emanat ab essentia speciei; propter quòd homo est primum subiectum risibilitatis, deindè Socrates, vel Plato, &c. non tanquàm subiecto existētiæ, quoniam sic primò inest indiuiduis, quæ propriè existunt, quàm &c. & in hoc maximè ab accidente communi distinguitur proprium, quòd istud oritur ex principijs speciei intrinsecis, commune verò ab extrinsecis, propter quòd illud primariò tangit speciem, & istud indiuiduum; ratioq; à priori videtur esse, quia omnis res prius dicitur de eo, in quo causam habet necessariam, quàm de eo, in quo causam habet contingentem: modò proprium habet causam necessariam in specie, & accidentia communia contingentem, vndè fit, vt indiuiduorum existentiam sequantur hæc, illud verò nō &c.

Productio habet pro termino existentiam. 5. *Physic. T. 7.*

PRocedit verum de rei corporeæ, per actionem transeuntem, siuè per modum transeuntis, productione, non illius,

lius, quæ ab actione immanenti prodit, & ad intra, qualis est productio entis rationis. Itèm de existentia, vel completa, & physica, vel incompleta, & metaphysica, non de vna tantùm.

Priuatio est principium essendi, & non essendi. *1. de Generat. T. 18.*

Accipitur verum de priuatione, vt est iuncta materiæ, non seorsìm, quia nunquàm seorsìm priuatio potest efficere ipsum esse, & proindè principium essendi appellari, sed quid negatiuũ in recto, & proindè tali modo principium non essendi, sicuti primò principium essendi, quatenùs motiuum, cur materia appetat formam, & ideò, quòd noua fiat generatio. Clariùs dicunt Alij principium non essendi per se, essendi verò per accidens, vt ad literam habet Arist. 1. *Phys. Tex.* 79.

Priuatio noscitur per habitum. *3. Anima T. 25.*

Secundum se intelligitur, tùm quia contrarium per contrarium natum est cognosci, ex 7. *Metaph. T.* 23. tùm quia priuatio non est ens, & propriam speciem non habet, vndè per oppositam formam opus est, quod dignoscatur, iuxta illud Philos. 1. *de Anima T.* 85. rectum est iudex sui, & obliqui, non secundum nostrum modum intelligendi, qui est tempori, & sensibus obnoxius, & propter hoc 7. *Metaph. T.* 1. dicitur accidentia, priuationes, &c. quæ pusillis sunt entitatis, esse magis nota ipsis substantijs; quocircà Auerroes 8. Phys.
Auerr. 7. Phys. Com. 27. Com. 27. ait Aristot. definiuisse mouens per se, per negationem motoris per accidens, quia, quod est per accidens est nobis notius eo, quod est per se.

Pri-

Priuatio quodamodo forma est. *2. Phys. T. 15.*

INtelligitur per metaphoram, & similitudinem, non realiter, quia sic impossibile est vnum contrarium esse aliud, & summè distantia identificari. Itèm de forma incompleta, quæ solùm formæ typum gerit, quatenùs denominat, & denominatio est à forma; vndè cœcitas cœcum dicit, & surditas surdum, non de completa.

Prius non pendet à posteriori. *In Postprædic. cap. 2.*

SVbsistere habet in esse̅do, quoniam & isto modo substantiæ non dependet ab accidentibus, non in agendo, & causando, quandoquidèm sic ab accidentibus dependent ipsæ substantiæ, vt infrà lit. S. Itèm verum in esse absoluto proprio, non, vt aliquo modo relatiuum ad posterius, quoniam relatiua simul natura sunt.

Proportio est eorum, quæ sunt eiusdem generis. *7. Phys. T. 30. & 31.*

APprobatur vndiq; de proportione adæquationis, non assimilationis, vel proportionalitatis, quoniam ista potest esse eorum, quæ genere differunt, & in solo analogo conueniunt, vt proportio effectus ad causam respectu Dei, & creaturæ: Itèm de genere, vel proximo, vel remoto, non necessariò de proximo.

Propter vnu̅quodq; tale, & illud magis. *1. Po. T. 15*

CLarissimum est in causa finali, & efficienti, non materiali; qua de re non sequitur propter materiam res sunt

corruptibiles: ergo ipsa magis corruptibilis. Cæterùm in efficientibus totalibus, & per se, non in instrumentalibus impulsiuis, & æquiuocis: Et quia materia, non per se, sed cum priuatione est causa corruptionis, propterea rursùs dicitur non eam esse magis corruptibilem. Rursùs in vniuocis, subordinatis, & proportionalibus non alijs, vt suprà dùm de causa causæ esset sermo.

Q

Qualibet potentia dignior prior, & melior res est actus. *9. Met. T. 19. & 12. eiusd. T. 26. & 32.*

Inculpatæ veritatis est de illa potentia, quæ totaliter actui contrariatur, & passiua dicitur, non de alia, puta de actiua, quæ identificata est actui, qualis ad vnguem est, quæ in Deo reperitur, siquidèm actio Dei, & potentia eius ipsissima Diuina essentiâ est, & planè nil melius, ac dignius ipsa Dei essentia. Pariter verum de illo actu, qui potentiæ perfectionem, eminentiali quodam modo continet, non de alio; videatur litera A. in exordio.

Qualis causa talis effectus. *2. Phys. T. 38. & 1. Post. T. 23.*

Approbatur optimè de causis internis, quoniam istæ continent effectum; vndè, quale lignũ, talis Mercurius, non de externis; Item de causis generalibus, & productiuis, non corrumpentibus; sæpè enim dantur mala, quorum corrumpentia bona sunt. Cæterùm approbatur de causa vniuoca, & proxima, quæ potens est assimilare sibi effectum, at non de æquiuoca, & remota, qualis est Sol respectu nostratium, & Deus respectu omnium creatorum.

Qua-

Qualis est proportio partis ad partem talis est totius ad totum. *7. Phys. T. 36. & 37.*

VAlet in ordine ad pugnam, & corruptionem, non in ordine ad mixtionem; ait enim Aristot. 1. *Gener. T. 69.* quòd parua paruis iuxta posita citius, & magis commiscentur, quod nullo modo sequi posset, cùm etiam magnum magno iuxtà positum magis deberet admisceri: Inuicèm itaquè partes melius agunt ad mixtionem parua positæ, quàm tota, non in se corrumpendo, &c.

Qualitates primæ sunt principia, & formæ corporum. *2. de Ortu T. 7. & 4. Meteor. cap. 1.*

RAtum, & firmum est de principijs sensibilibus, vt sensibilia sunt, non absolutè: Sic ergo est, quòd corpus, inquantum sensibile, potest habere pro principio accidēs, cùm accidentia sint solùm sensibilia, non pro quidditate: Item valet de primis qualitatibus, non seorsìm, vt qualitates sunt, sed vt instrumenta primorum corporum simplicium, quæ vulgò elementa dicuntur, ita Boccaferreus 4. Meteor. l. 1. *Boccaf. 4 Mete. l. 1.*

Quantitas index est materiæ, qualitas formæ. *4. Phys. T. 84. & 1. de Ortu T. 32.*

IN confessò est de quantitate molis, quæ extensionem importat, & partes extra partes, non de quantitate virtutis: Insuper de continua, & prædicamentali, non de discreta, & transcendentali: sic de qualitate, vel quia sequitur, vel quia antecedit formam; dispositiones autem qualitates sunt, iuxtà Philos. in 4. *Cathegoriarum*, & tamen formam non sequuntur, sed antecedunt.

SKOLION. Dicitur qualitas sequi formam, quia inter omnia accidentia habet magis de actu, cuius signũ est, quòd immediatè denominat, vt suprà; à iustitia enim dicitur iustus, & à sanitate sanus per Aristot. in 4. *ex Cathegorijs*; quantitas autem sequitur materiam, quia multum habet de potentia, vt apparet ex definitione quanti habita 5. *Metaph. T.* 18. cuius signum est, quòd non reperitur, nisi in habentibus materiam.

Quantitati nil est contrarium. *In Prædicam. cap. 2. Proprietate 1.*

PRobè intelligitur per se, non per accidens; cernimus enim hyemem, & æstatem, quæ tempora sunt, & ob hœc quantitates, sibi inuicem contrariari. Ampliùs verum est, si contrarietas sumatur pro repugnantia formarum actiuarum, & passiuarum, sed falsum, vt est terminus rei naturalis, & vt contrarietas est repugnantia perfecti, & imperfecti. Item logicè, non physicè.

SKOLION. Terminus hîc *logicè* importat secundò intentionaliter, & remotè à materia, physicè verò primò intẽtionaliter, & simul cum materia, & cum subiecto. Locus itaq; tempus, & similes quantitates logicè sumptæ contrariũ non habent, at physicè benè; vndè Scythia Ægypto contraria est, quatenùs illa frigidus locus est; ista verò calidus.

Quantitatis nulla est actio. *4. Phys. T.* 84.

VErum est per se, & primariò, quia cùm omnis actio fit de contrario in contrarium, & quantitati nil cõtrarietur, vt suprà, saltem primariò, propterea quantitati non est actio primariò danda; secundariò autem benè, quoniã adiuuat

uat suum subiectum, vt agat; vndè videmus magnitudinem lapidis multum conferre ad celeritatem descensus. Item verum de actione naturali, non morali, aut spirituali.

Quantò accidens sensibile communius est, tantò est certius. 2. *de Anima T*. 63.

VEritatem retinet ex parte sensus cognoscentis, quandoquidèm visus e. g. circa album, & nigrum potest errare, at non circa colorem, minimè postea ex parte actus particularis cognitionis; quapropter Arist. 1. *Phys. T*. 3. ait vniuersale esse nobis notius ipso particulari, quod rectè intelligitur in continendo, non in prædicando, iuxta doctrinam suam in 1. *Post. T*. 12. Cæterùm de communi secundò intentionaliter, relato .s. ad species, & ad inferiora, non primò, relato .s. ad accidens proprium; constat enim accidentia propria certiora esse ipsis communibus.

Quantò aliquid est simplicius, tantò est perfectius. 3. *de Anima T*. 6. & 2. *Cæli T*. 22. & 23.

ALio non reluctante, siuè cæteris paribus verum est Effatum, secùs falsum: non enim omnimodâ perfectione quodlibet simplex est perfectius alio minus simplici, siquidèm materia sola simplex est, imò & forma seorsìm, & tamen non sunt perfectiores ipso composito, vt suprà, sic forma accidentalis est simplicior pluribus substantijs, putà ipsis cōpositis, & tamen non est perfectior illis.

Quan-

Quantò aliquid est propinquius primò perfectissimo, in aliquo ordine tantò est perfectius. *4. Metaph. T. 6.*

APprobatur, vt verum de propinquitate adæquationis, & virtutis, non situalis locationis, seù indistantiæ locatiuæ. Item in operando, & ietelligendo; vnde 10. *Ethic. c.* 9. dicebat Arist. Deo carissimus est, qui operatur cum intellectu, quod propter simplicitatem substantiæ contingit, non secundũ simplicẽ accessum; vndè corpora Cœlestia, etsi Deo propinquiora sint, secundum hunc accessum, nobis tamen perfectiora non sunt, qui animati, & rationales sumus.

Quantò maior est distantia inter terminos, tantò maior est mutatio. 1. *de Ortu T. 20. & 21.*

PRobè vsurpatur, vbi est identitas subiecti, cum dicta maiori terminorum distantia, non vbi deest similis identitas; quocircà maior est mutatio de albo in nigrum, quàm de albo in rubeum, non autèm maior mutatio creatio, estò sit inter terminos latiores, & remotiores, quia non est sub identitate subiecti. Itèm quoad sensum, non &c.

Quæ eadem generatione generantur, & eadem corruptione corrumpuntur (veluti ens, & vnũ) sunt idem realiter. *4. Metaph. T. 3.*

INtelligitur hoc de simultate temporis, & naturæ, non solius temporis; & ideò, licet substantia, & quãtitas terminata simul tempore generentur, vel corrumpantur, attamen quia non simul naturâ generantur, propterea realiter non di-

distinguuntur, quod & de subiecto, & propria passione asserendum venit: Insuper in absolutis, & in ijs, quæ æquè primò penetrantur, non in relatiuis.

Quæcunq; sunt eadem, talia sunt, vt quod vni conuenit, conueniat & alteri. *6. Topic. cap. 1.*

IAm nodū in scyrpo inuenimus. Varijs inscriptionibus hoc, quod agitur in Effato insigniri solet ab Interpretibus, fortè ob concinnationem terminorum; quapropter etiam varijs in locis variæ, doctæq; interpretationes habentur. Alter locus est 5. *Metaph. T.* 16. sub hac inscriptione: *Eadem sunt, quorum substantia est vna.* Alter locus est *in* 8. *Metaph. T.* 15. *Eadem sunt quorum prædicata*, genus .s. & differentia, & in sensibilibus materia, & forma, *sunt eadem.* Alter tandem *in* 3. *Phys. T.* 21. fermè sub his verbis: *Quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem* inter se, famosum equidèm, arduū, sed profundum, quod maximè Theologorum torquet ingenia; quocircà, cùm prima mēbra Effati propositi *ex 6. Topic.* de identitate specifica adæquatè intelligantur, non de numerica; erga hoc quartum meum impendam laborem.

Est itaq; prima, & satis communis interpretatio, quòd verum sit Effatum eo modo, quo sunt eadem illi tertio, non; vt ab eo distinguuntur, qualiter se habent actio, & passio descriptæ ab Aristot. 3. *Phys. T.* 19. quia non sunt eædem inter se. sicuti sunt eædem cum motu, siquidèm in actione importatur respectus, vt à *quo;* in passione verò, *vt qui ab alio*: Sic de genere, & differentia dicit D. Thomas in Opusculo 30. Itèm quando sunt idem secundum rem, & rationem, vt tunica, & indumentum, non secundum rem tantùm, quæ est communis Arabum, & Græcorum super 6. Topic. cap. 1. & D. Tho. in Com. adducti textus 21. 3. Phys. Vlterius, quando sunt idem

re, & non habent oppositas, vel diuersas rationes formales, quarum vna excludat alteram, vt euenit paternitati, & filiationi, quæ est expositio P. Iauelij, & P. Torres. Cæterùm in absolutis, non in relatiuis; hæc enim dicunt incompossibilitatem naturalem, ob quam opponuntur, non sic autèm absoluta. Prætereà verum, quando illud tertium est incommunicabile, non quando communicabile; propter quam rationem non valet in Diuinis, quia essentia Diuina tribus personis cōminicatur. Insuper inconcussum, & firmum, quando illud tertium adæquatè distribuitur; nimirùm quādo accipitur pro omni re, pro qua accipi potest, minimè si non; & hac etiam de causa in Diuinis, non subsistit, quia dùm dicitur essentia Diuina est pater, non dicitur, quòd omnis res, quæ est essentia Diuina sit Pater, cùm sit etiam Filius, & Spiritus Sanctus, & est enucleatio Capreoli. (*Capreol.*) Rursùs verū in entibus finitis compositis, & aliquo modo dependentibus, non in Deo, in quo omnia identificantur. Amplius, quando illud tertium ex sui ratione habet tantummodò, vt sit re vnum, non aliquo modo plura, & est P. Valentiæ. (*P. Val.*) Tandèm, quando sunt eadem vni tertio, & non opponūtur inuicèm, maiori oppositione, quàm cum illo tertio, secùs, minimè. Maiora videto apud P. Nazarium 1.p.q.28.art.3. controuersiâ vnicâ. (*Nazar. 1.p.q 28. art 3*)

Quæcunq; in subiecto conueniunt sunt inuicèm transmutabilia. *1. de Ortu cap. 1. & 12. Metaph. T. 10. & 12.*

VLtra pensum verum de illis, quæ conueniunt in vno per modum subiecti, vt sunt cuncta entia generabilia, & corruptibilia, non de illis, quæ conueniunt solùm in genere logico, & non per modum subiecti: Amplius de ijs, quæ conueniunt in vno per modum totius, & existentis, in quo inuoluun-

luuntur materia, & qualitates (qualis ratio non potest verificari de Deo, & creaturis) non de quouis alio.

Quæ differunt formâ differunt specificè. *10. Metaph. T. 12.*

COnsistit in summa veritate de forma, vt dicit quidditatem, ac naturam specificam, non de forma, quæ est altera pars compositi; nàm primus modus importat differre in forma, sed non formaliter; secundus verò formaliter, at non in forma.

SKOLION. Aliud est differre in forma, & aliud differre formaliter (physicè loquendo, & in substantialibus.) Differre in forma est secundum differentiam vltimam, quæ conuertitur quodammodò cum specie rei, differre; formaliter autèm est diuersam numero formam, & numericam constitutionem (quæ potissimùm in genere fœminino, & masculino obseruatur) habere: hinc duo homines distinctas formas habent, cùm eandem numero non habeant, non tamen differunt specie, quatenùs secundum vltimam differentiam, quæ quidditatem connotat *ex 7. Metaph. T. 35.* non differunt.

Quæcunq; assimilātur inuicèm in aliquo vno conueniunt. *1. de Gener. T. 48.*

GErmanè intelligitur de illis, quæ communicant in genere, & in materia; vndè si inter Deum, & creaturas esset aliqua similitudo (quæ porrò non adest, secundum Diuum Dionysium in de Diuinis Nominibus cap. 9.) illa adhuc non esset talis, quæ faceret cōuenientiam in aliquo vno, cùm Deus debeat infinitè distare à creaturis, ac proindè non conuenire.

Quærere, quare homo sit homo, est nil quærere. *7. Metaph. T. 59.*

VAlet de simplici notitia, non de discursiua, etenim cum ista discursiua homo vagatur à non ente, vsq; ad supremum ens, & ideò potest sui notitiam, & principia inuestigare, quærendo vtiliter, vndè sit; quare; ad quem finem ordinatus, &c. vide suprà expositionem *T. 7. 2. de Anima* lit. N.

Quæ generantur fiunt ex non ente. *12. Metaph. T. 11. & 1. Phys. T. 73.*

INtelligitur in recto ex non ente per se existente, & actu, siquidèm in generatione nil præsupponitur, nisi materia, quæ est ens solùm potentiâ; benè verò ex ente incompleto, quod est dicta materia. Itèm ex non ente specifico tali, quale est, quod gignitur, non ex omninò nihilo.

SKOLION. Dupliciter ea, quæ generantur dicuntur fieri ex non ente, vno modo per accidens, quatenùs fiunt ex materia subiecta priuationi, gratiâ cuius dicitur non ens; secundo per accidens, quatenùs fiunt ex materia prima, quæ, quantùm est ex se, est nihil actu, & nihil determinatum in specie, est tamen aliquod genericum, putà subiectum commune positiuum, indifferens, vt fiat hoc, & illud *ex 1. Phys. T. 69.* vndè per hoc subiectum taliter potentia ens, sufficienter distinguitur generatio à creatione, in qua ens simpliciter per se ex nihilo sui, & subiecti producitur; & hoc est, quod dicebat Aristot. *1. Phys. T. 43.* ens simpliciter per se non posse fieri ab agente naturali, sed solùm per accidens, quatenùs subiectum ex vno alio determinato esse deducit, & non ex nihilo.

Quælibet causarum potest esse medium demonstrationis. *1. Post. T. 5. & 11.*

IN comperto est de demonstratione propter quid, quæ potissima dicitur, non de quauis alia. Cæterùm cum alijs requisitis, & de medio proximo existente sermone, non sine debitis requisitis, & de medio remoto. Rursùs de causis per se, & adæquatis, non de inadæquatis, & per accidens; vide supra litera F.

Quælibet forma, sine habitu externo, potest consequi suum finem. *3. Cæli cap. 2. T. 26.*

FAmulatur veritati de cõsecutione finis imperfecta, non de perfecta, propter quòd habitus sunt in potētijs constituti, vt possint illæ perfectius suas exercere actiones, & suos consequi fines. Pariter valet de habitu per frequentatos actus adepto, non de infuso, ac naturali; vt est habitus primorum principiorum, sine quo nulla forma sciētifica, & nullus finis artificiosus haberi potest.

Quæ in sublunaribus mouent, & nõ mouentur sunt appetitus, & obiectum. *3. de Anima T. 54. & in lib. de Animal. cap. 3.*

VAlet executiuè, quia neq; appetitus, neq; obiectum motum localem exequuntur, non imperatiuè, & occasionaliter; repręsentando enim se obiectum mouet potentiam, vt vitaliter agat, & appetitus per modum finis, & allicientis mouet agens, vt efficiat. Item non per primum, & generalem influxum, quia istud, est proprium est Dei, vt supra, sed per primum in genere suo, qui influxus particularis est.

Quæ

Quæ non habent materiam non habent causam sui esse. 8. *Metaph.* T. 16.

INtelligitur hoc de causa formali, non efficienti, etenim forma est causa essendi materiæ simul cum Agente; forma autem per se subsistens, hoc est carens materiâ, non habet causam transmutantem de potentia in actum, benè autem efficientem; Cæterùm, nec de ista efficienti transmutante, sed de influente, & conseruante.

Quæ per accidens inuicem vniuntur, possunt inuicem separari. 2. *Phys.* T. 3. & 1. *Post.* T. 17.

SVmitur verum de per accidens contingenter sumpto, non concomitanter, neq; de accidentis proprij vnione; talis enim nexus imperturbabilis est, vt e. g. quòd homo sit risibilis, disciplinabilis, &c. Item verum in passionibus contingenter accidentibus subiecto, non in passibilibus qualitatibus, & quæ per modum habitus contingunt subiecto.

Quæ specie differunt non continuantur. 5. *Physic.* cap. 5. T. 41.

PLanè ratione formæ hoc intelligitur, non ratione materiæ; continuitas enim accidens est de genere quantitatis, & tamen propria est materiæ: Item secundum leges, & cõsuetum ordinem Naturæ, minimè superadditâ virtute Diuina, aut arte exquisita: Vide, quæ suprà adducta sunt ab Aristot. de continuatione vini cum aqua.

Quæ

Quæ motá mouent sunt physicæ considerationis, &c. & é conuersò. *2. Phys. T. 71.*

INtaminatæ est veritatis de illis, quæ, nec mouentur, nec motui subiacent, non de illis, quæ tantummodò immobilia sunt, propter quòd materia prima est physicæ considerationis, quia licet nō moueatur, subiacet tamen motui, quod non dicitur de Deo vndiquaq; immobili, propter quòd est solum Metaphysicæ contemplationis: Item verum secūdum membrum, si omninò non moueatur, putà per se, neq; per accidens, secùs falsum, & ideò anima nostra, licet moueat immota per se, mouetur tamen per accidens ad motum corporis, & ideò remanet physicæ considerationis.

Quæuis res suam speciem ostendit. *4. Metaph. T. 2. & 3.*

PEr se, & directè vsurpatur, quia tali modo nulla res fallit, tanquàm similitudo primæ veritatis, non per accidens, quatenùs s. dat occasionem fallendi, frequēter gerendo similitudinem eorum, quorum non habent existentiam, & naturam, vt e. g. colores Iridis. Item seorsim, & in naturalibus, non copulatæ cum alijs, seu mixtæ, & in artificialib.

Quæ sunt secūdum naturam in omnibus reperiuntur, & eodem modo. *1. Cæli T. 19.*

FVlget in veritate de eo, quod sequitur naturam specificam, non indiuiduam, nām tali pacto potest alterari ab aliqua extrinseca virtute ad variationem, vt contingit de aqua Maris, respectu aquarum stagnantium, & puteali ū. Item cæteris paribus, secùs non; Ampliùs de modo principali, & proprio, non &c Quæ

Quæ definiuntur eadem definitione eundem habent conceptum. *8. Met. T. 6.*

IN cardine veritatis eſt de vno conceptu, vel vniuoco, vel analogo, non ſimpliciter vniuoco: Itèm de conceptu eſſentiali, ac ſpecifico, non numerico, & accidentali; omnes enim homines vnâ definitione definiuntur, & tamen plures, ac plures, diuerſoſq; conceptus indiuiduales, & accidentales habent. Itèm de conceptu proprio, non &c.

Quæ ſunt maximè vnum ſeparari non poſſunt. *5. Metaph. cap. de vno.*

COnſonum vero eſt de illis, quę ſunt vnum per omnimodam identitatem, vt corpus ex materia, & forma, non ſubiecto ſolùm, vt eſt color in pariete, aut per aggregationem, vt lapides in muro. Cæterùm de ſeparatione phyſica, & materiali, non intellectuali, & abſtractiua.

SKOLION. Aliqua eſſe vnum ſtat dupliciter, vel per identitatem, quatenùs .ſ. vnita realiter fiunt vnum, vt ſubiectum, & propria paſſio; ſecundò per conſtitutionem, & colligantiam eſſentialem duorum, quorum vnum eſſentialiter perficit aliud, & ita materia, & forma ſubſtantialis vnitæ conſtituunt compoſitum phyſicum vnũ per ſe, ita tamen quòd non ſunt idem realiter in ratione entis, in qua ambo cõpleta ſunt, vndè eſt, quòd à materia ſeparari poteſt forma, nõ ſic propria paſſio à ſuo ſubiecto; de negatione cuius ſeparationis loquitur T.

Quæ ſunt diuerſa per eſſentiam non poſſunt vniri, niſi per medium. *7. Metaph. T. 15.*

FIrmum eſt de diuerſis ſecundum eſſentiam completis, non incompletis, vt contingit de anima, & corpore, ſe enim

enim immediatè vniunt absquè extrinseco aliquo, propter quòd 2. *de Anima T.7.* dicitur, quòd non est quærenda ratio, cur ex materia, & forma fiat vnum per se, vt suprà. Itèm directè in accidentalibus, non in substantialibus.

Quæ vniuntur accidentariò non faciunt vnum per se. *6. Metaph. T. 5.*

GErmanè subsistit de vnione accidentaria puri, & veri accidentis prædicamentalis, non illius, quod vocatur solummodò accidens, quia non est de conceptu alterius, siquidèm ex his benè potest fieri vnum per se; hinc videmus materiam non esse de conceptu formæ, & formam pariter de conceptu materiæ, & tamen ex illa, & ista fit vnum per se, vt dictum est cum Arist. suprà 8. *Met. T. 15. & 2. de Anima T. 9.*

Quicquid conuenit causæ, & effectui, prius causæ debet conuenire, quàm effectui. *5. Met. T. 3.*

INtelligitur, quando eodem modo natum est causæ, & effectui conuenire tale attributum, non secùs e. g. calor conuenit igni, tanquàm causæ, & deinceps aquæ, tanquàm effectui, porrò prius datur igni, & postmodùm aquæ: Sic esse diuisibile, quoniam conuenit quantitati formaliter, & substantiæ, effectiuè, propterea, non primò conuenit substantiæ, quòd sit diuisibilis, sed quantitati, per quam illa euadit diuisibilis.

Quicquid corrumpitur à suo contrario corrumpitur. *1. Phys. T. 47. & 1. Cæli T. 20.*

IN habentibus contrarium propriè subsistit, non in alijs, quoniam in ijs, quæ carent contrarietate aliquid corrum-

pi potest propter absentiam agentis, vel conseruantis, vt est lumen in aere. Itèm per se, non per accidens.

SKOLION. Corruptio per se cadit, vbi positiua contraria, cum alijs positiuis oppositis pugnant, vt destructionem absoluant, & formam nouam introducant, sicuti sunt calor, & frigus; Per accidens verò, vel quando ad corruptionem subiecti accidentia corrumpuntur; vt sapor, & dulce ad corruptionem mellis, vel quādo substantiæ ipsæ à societate suarum qualitatum separantur, vt contingit in generatione mixti, & alijs corruptionibus substantialibus, vide supra lit. O.

Quicquid definitur debet esse species. 7. *Metaph. T.* 35.

De sola definitione quidditatiua, quæ medium, & principiũ est demonstrationis procedit Effatum; quoniam cùm ista debeat esse ex genere, & differentia *ex* 1. *Topic. cap.* 7. opus est, quòd sit speciei, non de definitione descriptiua, quæ sæpè numero est ex solis accidentibus. Ampliùs propriè, & scientifico modo, non impropriè; constat enim, etiam indiuidua, & genera definiri, quæ non sunt species.

Quicquid est in effectu, etiam in causa est. 5. *Metaph. T.* 3 *&* *Libro de Causis per totum.*

Virtualiter, & eminenter verificatur Effatum, non realiter formaliter: Item ex parte speciei, non indiuidui, secùs effectus esset ipsa causa. Vlteriùs verificatur de illis, quæ ad agentis perfectionem pertinent, non ad imperfectionem, & ad alia extrinseca effectui; relatiua namque, quæ non sunt primi ordinis (vt scientia, & scibile) præter respectũ aliquid aliud dicunt. In Cathegorijs cap. de Ad Aliquid.

Quic-

Quicquid recipitur per modum recipientis recipitur. *3. de Anima T. 3.*

POstulat intelligi, quantùm ad modum capacitatis illius, quod solũ recipitur, non verò secundũ naturã eius, quod recipit; nõ enim requiritur, vt id, quod recipitur sit eiusdem naturæ cum ipso recipiente, secùs accidens non reciperetur in subiecto substantiali, sed sat est, vt id, quod recipitur se accommodet capacitati illius, eamq; impleat, propter quòd fortassè 8. *Phys. T.* 79. inquit Arist. virtutem infinitam non recipi in magnitudine finita: Insuper de modo extrinseco, se tenente ex parte quantitatis, non intrinsèco, se tenẽte ex parte formæ substantialis: Vide, quæ sup. dicta sunt de loco lit. L.

Qui finem vult, vult & media ducentia in illum finem. *2. Phys. T. 78.*

REquirit, vt intelligatur de illo, qui vult finem, tanquàm causam, non de illo, qui vult finem, tanquam effectũ; hinc Felis vult pisces, sed nõ aquã, neq; rete, quæ sunt media ad talem finem: Insuper vult, quòd intelligatur de fine, cuius gratia, & principali, non de alio.

Qui negat motũ, destruit omne ens. *8. Phys. T. 22.*

VSurpatur verum de ente sensibili, non de ente simpliciter, & absolutè, tùm quia, Deus est ens, & penitùs motui non succumbit; tùm quia, qui negant motum, possunt ponere quietem, sicuti fecerunt, qui dixerunt omnia semper quiescere, & Natura dicitur, tàm de motu, quàm de quiete. Item de destructione entis regulati, & ordinati, propter quòd dicitur, & ab Arist. & à D. Tho. in Quæstionibus disputatis

tatis q. 5. de conseruatione rerum in esse à Deo art. 8. quòd cessante motu Cœli, cessant & actiones physicæ omnium inferiorum, non absolutè.

Qui noscit vnum relatiuorum, noscit & aliud. *5. Metaph. T. 20.*

SVbsistit de cognitione secundum speciem, & existentiam respectiuam, non secundum indiuiduum, vndè qui e. g. noscit Aristot. magistrum, noscit quidèm plures habere discipulos, sed indistinctè, non quot, neq; quales. Itèm, quoad exigentiam, & existentiam termini, speciemq; relationis, non quoad alias passiones proprias.

Qui potest vnum de contrarijs, potest & reliquum. *9. Metaph. T. 10.*

NOn ambigendum est valere de potentijs liberis, & iurisdictionem habentibus non in naturalibus tantùm; & sic interpretatur à Iuristis lex *Qui damnare ff.* de re iudicata. Amplius de contrarijs, vel relatiuis, vel medio carentibus, vt sunt priuatiua, non de alijs.

Quisuis motus non potest cuilibet motui comparari. *7. Phys. T. 21.*

TRituum manet de comparatione propria, quoniam illa propriè sunt comparabilia, quæ sunt commensurabilia, non de impropria, & ita motus rectus, & circularis comparantur; augmentum verò, & alteratio minimè. Amplius de comparatione intrinseca, quæ à specie attenditur, non extrinseca, quæ à tempore pendet.

Quod

Quod acquiritur per motum est in mobili. 3. *Phys.* *T. 18. & 23.*

DE termino intrinseco auet intelligi, non de extrinseco; locus enim acquiritur per motum, sed tamen est terminus extrinsecus motus. Præterea terminatiuè, quia recepit, vel res, vel terminum, quem non habebat, non inchoatiuè, hoc est in principio motus, quia tale, potius est in mouente, quàm in quouis alio.

Quod accipit esse ab alio dependet ab eo, 1. *de Ortu T. 45. & 7 Metaph. T. 21.*

VVlt, quod intelligatur de eo, quod accipit esse distinctum essentialiter, nō alio modo, & propter hoc filius in Diuinis non dicitur dependens à Patre, licet ab eo producatur, cùm eandem essentiam, & æternitatem habeat, quam Pater habet, & illi communicat. Vel clariùs dicatis valere de eo, quod accipit esse distinctum, & absolutum ab alio, nō notionale, & relatiuū, quo pacto iu Diuinis Spiritus Sanctus à Patre, & Filio suum esse notionale, hoc est personale, & hypostaticum trahit, per processionem à Patre, & à Filio.

Quod aduenit enti in actu accidens est. 1. *Physic.* *T. 28.*

HAud dubium de ente simpliciter, & in actu completo, non de ente, quod, si est in actu, adhuc est aptum perfici, & determinari per alium perfectiorem, vt est anima vegetalis, dùm ei aduenit sensitiua; & forma substantialis, dùm aduenit materiæ primæ, quæ erat actu, sed incompletè, & metaphysicè, quòd etiam vniuersaliter dicitur de existentia respectu essentiæ sub quouis genere entis. Quod

Quod agit in prius, agit etiam in posterius. *7. Metaph. T. 33.*

VAlet directè in per se ordinatis, non in alijs: Itèm, vel per se, vel per accidens, non necessariò per se tantùm: quocircà si Cœlum agit per se in corpus nostrũ, non est opus, vt agat etiam per se in animam. Prætereà in naturalibus tantùm, & subordinatis, vt suprà; non in moralibus, ac liberis agentibus, artibusq; cùm pateat vnum artefactum ab vno artifice inchoari, & ab alio perfici, & compleri.

Quod cognoscitur in particulari perfectè cognoscitur. *1. Post. T. 3.*

VSurpatur verum ex parte rei cognitæ, non medij cognoscendi, quando enim cognoscitur solùm vniuersalis natura rei, imperfectè cognoscitur, vt si aliquis cognosceret hominem solùm, per quod esset animal, imperfectè cognosceret, non verò, quãdo per vniuersalius medium attingit inferiora; propter quòd Angeli superiores perfectius intelligunt ipsis inferioribus, cùm per vniuersaliores species, vt per medium cognoscendi magis aptum, cognoscant.

Quod competit rei per suam formam competit ei per se. *5. Metaph. T. 14.*

VAlidè subsistit de per se entitatiuo, & metaphysico, non logico; hinc rationale, per se, est animal metaphysicè, quia non est alterius beneficio, minimè logicè; cùm animal non sit de conceptu essentiali rationalis, stante hoc, quòd Angeli sunt rationales, & non sunt animalia, ita Didacus Masius in sua Logica T. vltimo.

Quòd conuenit speciei, conuenit & omni indiuiduo eius. *5. Topic. cap. 2.*

AD vnguem verificatur, quādo conuertibiliter, necessariò, & essentialiter conuenit, non quando solùm contingenter, & minimè conuertibiliter: hinc proprium primo modo, quia non conuenit speciei conuertibiliter, & essentialiter, non de omni contento sub specie verificatur; est enim veluti dicere, quia Arist. est Physicus, & Demosthenes Orator, ideò homo est Orator.

Quod conuenit partibus, conuenit & toti. *5. Metaph. T. 31.*

MAterialiter euocatur ad veritatem, nimirùm quatenùs partes sunt ipsum totum, secūdum entitatem materialem, non formaliter. Item secundum Ioannem de Magistris cathegorematicè, non syncathegorematicè. Ampliùs per viam affirmationis verum, sed falsum per viam negationis, & ita ingenerabile, per viam negationis dicitur de materia prima, non per viam affirmationis *1. Phys. c. vlt. T. 82.*

Quod corrumpit agit. *2. de Ortu T. 59.*

VErum vtiq; est de eo, quod corrumpit effectiuè, non de eo, quod corrumpit formaliter, sicuti est priuatio, quæ corrumpit habitum, vt malum, bonum; cœcitas visum. Cæterùm corrumpere est agere defectuosum, non perfectiuum. Ampliùs respectu dispositionum, & requisitorum, non solius momentanei transitus de esse ad non esse, qui appellatur ab Arist. corruptio.

Quod-

Quodcunq; ineſt generi ineſt, & ſpeciei. 5. *Metaph.*

IN confeſsò eſt de illo, quod actu ineſt generi, non de illo, quod ineſt potentia: Inſuper verus in actu exercito, non in actu ſignato; genus enim non eſt ſpecies, neq; ſpecies genus, cùm vnum relatiuorum non ſit aliud.

SKOLION. De animali tanquàm de genere dicuntur ſubſtantia, corpus, viuens, &c. & iſta pariter omnia de homine actu, qui eſt ſub animali, eò quòd omnia hæc ſunt notiones primæ in homine; at ſi dicatur animal eſt genus, ergo homo eſt genus, falſum dicitur, eò quoniam id, quod affirmatur de animali notio ſecunda eſt, cuius ratio videtur eſſe, quia illa actu ſunt in genere, & omnia à ſpecie trahuntur, hæc verò minimè, ita Iſendorn loco ſupra citato nu. 1.

Quod eſt in alio non eſt hoc aliquid. 7. *Met. T.* 8.

CErtum eſt de eo, quod eſt in alio, vt accidens in ſubiecto, non de illo, quod eſt in alio, vt pars in toto, veluti forma in materia, & anima in corpore: Inſuper non de eo, quod eſt in alio per modum actus primi, aut per exiſtentiam, benè autèm de alijs, ab iſtis ſimilibus, diuerſis.

Quod eſt maximè vnum nō poteſt eſſe radix multitudinis. 5. *Metaph. cap. de Vno.*

VAlet de vno in ratione ſubiecti, non alio modo; hinc Diuina eſſentia, maximè vna, fundat conceptus iuſtitiæ, bonitatis, ſapientiæ, &c. ſed per hoc bonitas, ſapientia, iuſtitia, &c. non fundatur in ea, ſicut in ſubiecto; ſed ſicut in cauſa veritatis. Item radix materialis, & proxima, non efficiens, vel remota.

Quod

Quod est per accidens potest non esse. 1. *Phys. T. 29. & 10. Metaph. T. 26. ac 1. Post. T. 52.*

Certum est de per accidens, vt contingentiam refert, non absolutè; quandoquidèm priuatio ab Aristot. 1. *Phys. T.* 75. vocatur principium per accidens, & tamen absq; ea nihil fit, vel potest esse de nouo naturaliter, cùm sit maximè intima ipsi fieri *ex* 1. *Phys. T.* 60. & 61.

Quod est sensibile est per materiam. 1. *Cœli T. 92.*

Valet arguitiuè, non simpliciter, quoniam & ipsa materia insensibilis est; Arguitiuè autèm valet, quia ista sensibilitas exercetur in corpore, quod tale est per materiam, & etiam, quia est circa accidentia, quæ sunt immediatæ proprietates materiæ, ad differentiam intelligibilium. Deniquè secundũ Auerroem valet de materia propinqua, nõ de remota.

Quod immixtum est, & immateriale non est virtus in corpore. 3. *de Anima T. 5.*

Optimè intelligitur de immateriali, & immixto, vt *quo*, & *quod*, non *quo* tantù n, vti est anima nostra, quæ tantummodò est formaliter, & vt quod immaterialis, nõ vt quo, alioquin non esset vera forma corporis physici aduersùs Aristot. 2. *de Anima T.* 7. Itèm virtus materialiter coextensa subiecto sunt aliæ virtutes eductæ de potẽtia subiecti, vt nõ &c.

Quod non est non scitur. 4. *Metaph. cap. 1.*

Intelligitur in hoc sensu, quod non sciatur esse, quoniam esset actus falsus; benè autèm sciatur non esse, & sic chy-

mera, & alia impossibilia non cognoscuntur esse, sed non esse: Itèm formaliter, non terminatiuè; vidè supra lit. E.

SKOLION. Causare intellectionem nō debetur, nisi enti, at terminare illam, etiam non enti; quarè negationes quantitatis, vt e.g. lōgitudinis in corpore eminùs viso, planè nō sunt, neq; causant intellectionē, terminant tamen ipsum; vndè, &c.

Quod non potest nō esse semper est. *8. Phys. T. 53.*

VAlet absolutè, quod non possit nō esse, minimè ex hypotesi, vt sūt creaturæ: Itē de eo, quod & ab intrinseco, & ab extrinseco nequit nō esse, itaut nullum habeat principiū, quo possit non esse, vt est Deus O. M. non de illo, quod tantùm ab intrinseco potest non esse, vt sunt, quæ carent materiâ, putà Intelligentiæ, aut quæ dictam materiam non habent priuationi coniunctam alterius formæ, vt sunt Cœlestia.

Quod quid est per se primò est idem cum eo, cuius est. *7. Metaph. T. 20.*

DIrectè valet, quantùm ad ea, quæ sunt per se intrinsecè, non quantum ad ea, quæ sunt per accidens; vndè non potest dici homo est humanitas, asserente D. Th. in de Vnione Verbi sub 1. p. art. 3. ad vltimum: Itèm in concretis, vt cum Aristot. 3. *de Anima T. 9.* & 15. suprà dictum est, ac creatis, non in ente increato, & abstractis.

D. Tho. 1. p q. de Vn. Ver. art. 3.

Quod vitam habet mouet se ipsum. *2. de Anima T. 27.*

DE patientibus motum, qui est actus entis in potentia ex 3. *Phys. T. 3.* intelligitur præsens Effatum, non de alijs;

vndè

vndè primus Motor ex mente Philos. 8. *Phys. T.* 46. mouet alia, & minimè se ipsum, quantumuis viuens, licet vitâ sempiternâ. Quò loci notasse iuuabit, quòd neq; Theologicè inconueniens est dicere primum motorem mouere se, quando sumitur motus pro actione ipsa mouenti adæquata, nempè pro ipso intelligere, & velle, non aliter.

Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis, & reliquum. 1. *Topic. cap.* 13.

Specificè, & formaliter valet, non materialiter, & suppositiuè; hinc supposita habentia contrarietatem minimè æqualia sunt. Amplius verum de contrarijs positiuis, relatiuis, & secundum affirmationem, & negationem dictis, non de priuatiuis. Itèm quòd, quot sunt significata vnius oppositi, tot sint, & alterius, dùm secundum suam significationem opponantur, nō autèm, quod tot sint supposita contraria. Tandèm de illis oppositis verum, in quibus est eadem ratio multiplicationis, quo pacto, cùm non se habeant substantia, & accidens, ideò non æquè multiplicantur, non de alijs.

R

Radix contingentiæ in hominibus est, quia sunt consiliatiui; in naturalibus verò, quia materia est potentia ad vtrumq; 1. *Perther. cap.* 6.

Valet de contingentibus, & radice eorum, per ordinem ad causas particulares, non ad vniuersales; sicuti enim in corporibus corruptibilus materia reperitur in potentia, ad esse, & non esse, ita in corporibus Cœlestibus potentia ad diuersa Vbi, & tamen in eis quicquā contingenter euenire non dicitur, sed ex necessitate.

Rarum, & densum sunt contraria. 1. *Phys.* T. 41.

REctè incedit, secundum quòd sunt qualitates consequentes calidum, & frigidum, non respectiuè, vt .s. dicunt solam distantiam, & propinquitatem partium; etenim raritas definitur partium diuulsio, & densitas partium coniunctio. Itèm contraria secunda, non prima.

Ratio hominis semper est recta. 3. *Anima* T. 51.

SVbsistit de ratione humana circà prima principia, nō circà conclusiones. Cæterùm, quando error non prouenit à proprietate rationis, at ex solo defectu. Prætereà antecedenter, & in actu signato, non consequenter, & in actu exercito; cùm enim practicè subsit imperio volūtatis, & hæc multotiès ab apparentibus excitetur, fit &c.

Ratio necessitatis in rebus naturalibus est ex fine. 2. *Phys.* T. 88.

PRobè intelligitur de necessitate conditionata, siuè ex suppositione, nimirùm, secundū quòd finis est posterior in esse, vt quando dicimus opus esse serram, esse ferream, si vult scindere lignum, non absolutâ, quæ .s. est ex prioribus in esse, nàm ista sumitur, & ex causa materiali, & ex formali, efficiēte, & finali. Itèm in puris naturalibus, non in artificialibus, & naturalibus simul, quoniā in istis necessitas dispositionum est ex parte materiæ, siquidèm per materiam apta sunt sic disponi, vt e. g. quòd ligones terram fodiant, quia ferrei, & mucronati.

Ratio, quam significat nomen definitio est. *4. Metaph. T. 2.*

CLarè patet de definitione, quæ est per propriam speciẽ, & quidditatiua dicitur, non de definitione, quæ est per alterius speciem, putà per speciẽ effectus, vt notitia ignis per fumum, & delectatio, vel suauitas epularum per odorem. Item de ratione, quam significat nomen, secundũ id, ad quod significandum imponitur, non à quo imponitur tantum.

Ratio quanti est diuidi in ea, quæ insunt. *5. Met. Tex. 18.*

SVbsistit de diuisione materiali, & reali, quæ physica dicitur, non intentionali, seù logica. Cæterùm de diuisione in plura secundum numerum, minimè secũdum speciem; hinc diuisio Naturæ communis nõ est in plura secundũ rem, sed secundum rationem, & propter hoc nõ est opus speciem esse prius vnam, secundum numerum, vt lignum antequàm diuidatur, sed secundum rationem.

Rationem habentes contra rationem operantur. *5. Ethic. cap. 8. & 9.*

PRopter libertatem intelligitur, non necessariò, & naturaliter: Item per accidens, non per se: insuper in hoc sensu, quia qui operantur contra rationem rectam, appetunt bonum delectabile secundum sensum, & quod illud sit malum, secundum rationem non animaduertunt; vndè manet præter rationem illorum, non quia simpliciter sine habitu rationis, & stultè operentur, vide infrà litera S.

Ra-

Rationem quærere, & dimittere sensum infirmitas est intellectus. *8. Phys. T. 22.*

PLusquam certum, vbi cadit cognitio sensitiua, & famulatur intellectiuæ, non à quo remota est, vt in intelligendis abstractis. Cæterùm totaliter, non partialiter; cùm enim ortũ habeat à sensu humana intellectio (nàm de hac est sollecitus ibi Arist.) sensũ dimittere nequit; nec pariter experientiam, qui prudenter per intellectum vult iudicare. Prætereà de infirmitate metaphorica, non reali; non enim organica, vel corporea potentia est intellectus *3. de Anima T. 4.* vt infirmari possit; obliquari tamen potest penès veritatem, cùm negligit experientiam, & conatum Naturæ, solam rationem, vel figmentum eius sectando.

Rationis est imperare. *1. Ethic. cap. vlt.*

SVbsistentiam habet in quantum, quòd ratio distribuit, & ordinat exequenda per hunc, & illum actum, per hanc, & illam potentiam, non quantùm ad inclinationem. Item rationis, non prout dicit solum intellectum, & suprà considerata fuit in expositione *T. 513. de Anima*, sub illis verbis. Ratio hominis semper est recta, sed, vel intellectum, vel voluntatem; voluntas enim appetitus rationalis dicitur ab Arist.

Recipiens esse post non esse, est generabile, & corruptibile. *1. Cœli T. 112.*

INtelligitur de eo, quod recipit esse totale, & adæquatum propter animam nostram, quæ quidèm recipit esse post non esse, sed non totale, vndè non manet generabilis, & corru-

ruptibilis. Ampliùs de illo, quod recipit esse post non esse, & causa temporis non est, vt Cœlum, non de alio: hinc Cœlum accipit esse, .s. per creationem, cum prius non esset, & tamen non est generabile, vel corruptibile. Item post non esse merè priuatiuum, non negatiuum tantùm, quia sic nulla creatura à Deo creata esset generabilis, & corruptibilis.

Rectum est iudex sui,& obliqui. *1. de Ani. T. 85.*

PRocedit, vt primum, & vt perfectius, ad quod reduci debeat ipsum obliquum, non formaliter, & absolutè, quoniam tali sensu, rectum habet contradistingui ipsi obliquo, & contradistincta non se mutuò indicant. Itèm quia rectum stat pro positiuo, & pro habitu, obliquum verò pro priuatiuo, & positiuum regula est ipsius priuatiui.

Relatio potest aduenire subiecto, absque mutatione. *5. Phys. T. 18.*

DEseruit veritati pro mutatione physica, non metaphysica, vel logica; enunciatio namq; vera noui prædicati, non potest esse absq; mutatione metaphysica: Itèm verum de subiecto termini huius, vel illius, at non de ambobus concurrentibus ad relationem; si enim paries, qui fit similis alteri, non mutatur, mutatur tamē ille alter recipiens qualitatē, quā non habebat, tanquā fundamentum proximum similitudinis.

Relatio præxigit extrema diuersa, ac realiter distincta. *5. Metaph. T. 16 & 20.*

VAlet de relatione aduenientе, non constituente, sicuti sunt relationes Diuinæ, nec nō & ipsa relatio originis, quæ

quæ constituit ipsam distinctionem extremorum; Itèm de relatione prædicamentali, & secundum quam rationem importat oppositionem vnius termini ad alium conterminum, non de transcendentali, & sub alia ratione. Dicunt rursùs Alij, quando relatio est accidens, non quando subsistens, vt in Diuinis, quia in tali casu secum fert distinctionem, & non præsupponit; identitatem quoq; essentiæ, & non diuersitatem.

Relatiuum supponit absolutum. *5. Metaph. T. 20.*

SVb disiunctione verum est, de absoluto .s. communi, vel proprio, non de proprio tantùm, & propter hoc relatio originis in Diuinis præsupponit absolutum commune, putà essentiam, non proprium, vt communiter dicunt Theologi in 1.p.q.27. Insuper, tanquàm suum materiale, & fundamentū, non vt formale, cùm absolutū nequeat esse forma relatiui.

Relatiua sunt simul naturâ. *In Cathegorijs capite de Ad Aliquid.*

FOrmaliter hoc intelligitur, non fundamentaliter, nàm sic vnum potest aliud præcedere, vt mox supra dictum est. Ampliùs verum de relatiuis primi ordinis, & secundum esse, non secundum dici, & secundi ordinis, vt literâ C. explicatum est: Deniq; simul per simultatem naturæ, non identitatis, vel continentiæ localis, &c. vide supra lit. L.

Res habent nobilius esse in sua causa, quàm in se ipsis. *Libro de Causis Prop. 3.*

VAlet de causa æquiuoca, non vniuoca, quæ necessariò est eiusdem perfectionis cum effectu, rosa namq; nobilius

bilius

bilius esse habet in Sole, quàm in se, siquidèm in Sole habet esse Solis, & in se esse rosæ. Vlteriùs verum eminenter, non materialiter, ideſt pro veritate rei exiſtentis, & proportionis enunciatiuæ, quoniam verior eſt propoſitio, roſa eſt roſa, quàm roſa eſt Sol. Per hoc clareſcit aliud ſubſequens Effatum, quòd etiam verius eſſe habeat, nàm intelligitur de eſſe obiectiuo, & ſecundum eſſentiam, non ſecundum exiſtentiã; ſicuti de cauſa principali, non inſtrumentali.

Res ordinis ſuperioris non poteſt videri per ſimilitudinem inferioris. 12. *Metaph.* T. 51.

ADæquatè hoc intelligitur, non inadæquatè: Item de ſimilitudine prius cognita ſecundum ſe, hoc eſt relata ad cognitum, cognoſcibile per propriam ſpeciem prius, non de ſimilitudine, quæ eſt virtualis repræſentatio alterius, & ſic ſubſtantia noſci poteſt per ſimilitudinem accidentium, quæ ſunt inferiora ipſæ, ex 7. Met. T. 2.

Res verius eſſe habet in cauſa vniuerſali, quàm in ſe ipſa. 12. *Metaph.* T. 52.

IN confeſsò eſt de veritate rei, non prædicationis, & ſic res creatæ verius ſunt in Verbo, quàm in ſe ipſis, dicente D. Anſelmo in Monologijs cap. 35. Creatura in Creatore creatrix eſt. Cæterùm reſpectu continentiæ eminentialis, quæ non poteſt eſſe maior, neq; melior, non exiſtentiæ particularis, & propriæ ſubſiſtentiæ, quæ ſe accomodando loco, tempori, & alijs ſenſibilibus circumſtantijs, tandèm euaneſcit. *D. Anſ. in Mon. cap. 35.*

Quodcunq; ineſt generi ineſt, & ſpeciei. 5. *Metaph.*

IN confeſsò eſt de illo, quod actu ineſt generi, non de illo, quod ineſt potentia: Inſuper verus in actu exercito, non in actu ſignato; genus enim non eſt ſpecies, neq; ſpecies genus, cùm vnum relatiuorum non ſit aliud.

SKOLION. De animali tanquàm de genere dicuntur ſubſtantia, corpus, viuens, &c. & iſta pariter omnia de homine actu, qui eſt ſub animali, eò quòd omnia hæc ſunt notiones primæ in homine; at ſi dicatur animal eſt genus, ergo homo eſt genus, falſum dicitur, eò quoniam id, quod affirmatur de animali notio ſecunda eſt, cuius ratio videtur eſſe, quia illa actu ſunt in genere, & omnia à ſpecie trahuntur, hæc verò minimè, ita Iſendorn loco ſupra citato nu. 1.

Quod eſt in alio non eſt hoc aliquid. 7. *Met. T. 8.*

CErtum eſt de eo, quod eſt in alio, vt accidens in ſubiecto, non de illo, quod eſt in alio, vt pars in toto, veluti forma in materia, & anima in corpore: Inſuper non de eo, quod eſt in alio per modum actus primi, aut per exiſtentiam, benè autèm de alijs, ab iſtis ſimilibus, diuerſis.

Quod eſt maximè vnum nō poteſt eſſe radix multitudinis. 5. *Metaph. cap. de Vno.*

VAlet de vno in ratione ſubiecti, non alio modo; hinc Diuina eſſentia, maximè vna, fundat conceptus iuſtitiæ, bonitatis, ſapientiæ, &c. ſed per hoc bonitas, ſapientia, iuſtitia, &c. non fundatur in ea, ſicut in ſubiecto; ſed ſicut in cauſa veritatis. Item radix materialis, & proxima, non efficiens, vel remota.

Quod est per accidens potest non esse. 1. *Phys. T. 29. & 10. Metaph. T. 26. ac 1. Post. T. 52.*

CErtum est de per accidens, vt contingentiam refert, non absolutè; quandoquidèm priuatio ab Aristot. 1. *Phys. T. 75.* vocatur principium per accidens, & tamen absq; ea nihil fit, vel potest esse de nouo naturaliter, cùm sit maximè intima ipsi fieri *ex 1. Phys. T. 60. & 61.*

Quod est sensibile est per materiam. 1. *Cæli T. 92.*

VAlet arguitiuè, non simpliciter, quoniam & ipsa materia insensibilis est; Arguitiuè autèm valet, quia ista sensibilitas exercetur in corpore, quod tale est per materiam, & etiam, quia est circa accidentia, quæ sunt immediatæ proprietates materiæ, ad differentiam intelligibilium. Deniquè secundũ Auerroem valet de materia propinqua, nõ de remota.

Quod immixtum est, & immateriale non est virtus in corpore. 3. *de Anima T. 5.*

OPtimè intelligitur de immateriali, & immixto, vt *quo*, & *quod*, non *quo* tantù n, vti est anima nostra, quæ tantummodò est formaliter, & vt quod immaterialis, nõ vt quo, alioquin non esset vera forma corporis physici aduersùs Aristot. 2. *de Anima T. 7.* Itèm virtus materialiter coextensa subiecto sunt aliæ virtutes eductæ de potẽtia subiecti, vt nõ &c.

Quod non est non scitur. 4. *Metaph. cap. 1.*

INtelligitur in hoc sensu, quod non sciatur esse, quoniam esset actus falsus; benè autèm sciatur non esse, & sic chy-

mera, & alia impossibilia non cognoscuntur esse, sed non esse: Itèm formaliter, non terminatiuè; vidè supra lit. E.

SKOLION. Causare intellectionem nõ debetur, nisi enti, at terminare illam, etiam non enti; quarè negationes quantitatis, vt e.g. lõgitudinis in corpore eminùs viso, planè nõ sunt, neq; causant intellectionẽ, terminant tamen ipsum; vndè, &c.

Quod non potest nõ esse semper est. *8. Phys. T. 53.*

VAlet absolutè, quod non possit nõ esse, minimè ex hypotesi, vt sũt creaturæ: Itẽ de eo, quod & ab intrinseco, & ab extrinseco nequit nõ esse, itaut nullum habeat principiũ, quo possit non esse, vt est Deus O. M. non de illo, quod tantùm ab intrinseco potest non esse, vt sunt, quæ carent materiâ, putà Intelligentiæ, aut quæ dictam materiam non habent priuationi coniunctam alterius formæ, vt sunt Cœlestia.

Quod quid est per se primò est idem cum eo, cuius est. *7. Metaph. T. 20.*

DIrectè valet, quantùm ad ea, quæ sunt per se intrinsecè, non quantum ad ea, quæ sunt per accidens; vndè non potest dici homo est humanitas, asserente D. Th. in de Vnione Verbi sub 1. p. art. 3. ad vltimum: Itèm in concretis, vt cum Aristot. 3. *de Anima T. 9.* & 15. suprà dictum est, ac creatis, non in ente increato, & abstractis.

D. Tho. 1. p. q. de Vn. Ver. art. 3.

Quod vitam habet mouet se ipsum. *2. de Anima T. 27.*

DE patientibus motum, qui est actus entis in potentia *ex 3. Phys. T. 3.* intelligitur præsens Effatum, non de alijs; vndè

vndè primus Motor ex mente Philos. 8. *Phys. T.* 46. mouet alia, & minimè se ipsum, quantumuis viuens, licet vitâ sempiternâ. Quò loci notasse iuuabit, quòd neq; Theologicè inconueniens est dicere primum motorem mouere se, quando sumitur motus pro actione ipsa mouenti adæquata, nempè pro ipso intelligere, & velle, non aliter.

Quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis, & reliquum. 1. *Topic. cap.* 13.

SPecificè, & formaliter valet, non materialiter, & suppositiuè; hinc supposita habentia contrarietatem minimè æqualia sunt. Amplius verum de contrarijs positiuis, relatiuis, & secundum affirmationem, & negationem dictis, non de priuatiuis. Itèm quòd, quot sunt significata vnius oppositi, tot sint, & alterius, dùm secundum suam significationem opponantur, nō autèm, quod tot sint supposita contraria. Tandèm de illis oppositis verum, in quibus est eadem ratio multiplicationis, quo pacto, cùm non se habeant substantia, & accidens, ideò non æquè multiplicantur, non de alijs.

R

Radix contingentiæ in hominibus est, quia sunt consiliatiui; in naturalibus verò, quia materia est potentia ad vtrumq; 1. *Perther. cap.* 6.

VAlet de contingentibus, & radice eorum, per ordinem ad causas particulares, non ad vniuersales; sicuti enim in corporibus corruptibilibus materia reperitur in potentia, ad esse, & non esse, ita in corporibus Cœlestibus potentia ad diuersa Vbi, & tamen in eis quicquā contingenter euenire non dicitur, sed ex necessitate.

Ratum, & densum sunt contraria. 1. *Phys.* T. 41.

REctè incedit, secundum quòd sunt qualitates consequentes calidum, & frigidum, non respectiuè, vt .s. dicunt solam distantiam, & propinquitatem partium; etenim raritas definitur partium diuulsio, & densitas partium coniunctio. Itèm contraria secunda, non prima.

Ratio hominis semper est recta. 3. *Anima* T. 51.

SVbsistit de ratione humana circà prima principia, nô circà conclusiones. Cæterùm, quando error non prouenit à proprietate rationis, at ex solo defectu. Prætereà antecedenter, & in actu signato, non consequenter, & in actu exercito; cùm enim practicè subsit imperio volũtatis, & hæc multotiès ab apparentibus excitetur, fit &c.

Ratio necessitatis in rebus naturalibus est ex fine. 2. *Phys.* T. 88.

PRobè intelligitur de necessitate conditionata, siuè ex suppositione, nimirùm, secundũ quòd finis est posterior in esse, vt quando dicimus opus esse serram, esse ferream, si vult scindere lignum, non absolutâ, quæ .s. est ex prioribus in esse, nàm ista sumitur, & ex causa materiali, & ex formali, efficiẽte, & finali. Itèm in puris naturalibus, non in artificialibus, & naturalibus simul, quoniã in istis necessitas dispositionum est ex parte materiæ, siquidèm per materiam apta sunt sic disponi, vt e. g. quòd ligones terram fodiant, quia ferrei, & mucronati.

Ratio, quam significat nomen definitio est. 4. Metaph. T. 2.

CLarè patet de definitione, quæ est per propriam speciē, & quidditatiua dicitur, non de definitione, quæ est per alterius speciem, putà per speciē effectus, vt notitia ignis per fumum, & delectatio, vel suauitas epularum per odorem. Item de ratione, quam significat nomen, secundū id, ad quod significandum imponitur, non à quo imponitur tantum.

Ratio quanti est diuidi in ea, quæ insunt. 5. Met. Tex. 18.

SVbsistit de diuisione materiali, & reali, quæ physica dicitur, non intentionali, seù logica. Cæterùm de diuisione in plura secundum numerum, minimè secūdum speciem; hinc diuisio Naturæ communis nō est in plura secundū rem, sed secundum rationem, & propter hoc nō est opus speciem esse prius vnam, secundum numerum, vt lignum antequàm diuidatur, sed secundum rationem.

Rationem habentes contra rationem operantur. 5. Ethic. cap. 8. & 9.

PRopter libertatem intelligitur, non necessariò, & naturaliter: Item per accidens, non per se: insuper in hoc sensu, quia qui operantur contra rationem rectam, appetunt bonum delectabile secundum sensum, & quod illud sit malum, secundum rationem non animaduertunt; vndè manet præter rationem illorum, non quia simpliciter sine habitu rationis, & stultè operentur, vide infrà litera S.

Rationem quærere, & dimittere sensum infirmitas est intellectus. *8. Physs. T. 22.*

PLusquam certum, vbi cadit cognitio sensitiua, & famulatur intellectiuæ, non à quo remota est, vt in intelligendis abstractis. Cæterùm totaliter, non partialiter; cùm enim ortũ habeat à sensu humana intellectio (nàm de hac est sollecitus ibi Arist.) sensũ dimittere nequit; nec pariter experientiam, qui prudenter per intellectum vult iudicare. Prætereà de infirmitate metaphorica, non reali; non enim organica, vel corporea potentia est intellectus 3. *de Anima T.* 4. vt infirmari possit; obliquari tamen potest penès veritatem, cùm negligit experientiam, & conatum Naturæ, solam rationem, vel figmentum eius sectando.

Rationis est imperare. *1. Ethic. cap. vlt.*

SVbsistentiam habet in quantum, quòd ratio distribuit, & ordinat exequenda per hunc, & illum actum, per hanc, & illam potentiam, non quantùm ad inclinationem. Item rationis, non prout dicit solum intellectum, & suprà considerata fuit in expositione *T.* 51.3. *de Anima*, sub illis verbis. Rátio hominis semper est recta, sed, vel intellectum, vel voluntatem; voluntas enim appetitus rationalis dicitur ab Arist.

Recipiens esse post non esse, est generabile, & corruptibile. *1. Cæli T.* 112.

INtelligitur de eo, quod recipit esse totale, & adæquatum propter animam nostram, quæ quidèm recipit esse post non esse, sed non totale, vndè non manet generabilis, & corru-

ruptibilis. Ampliùs de illo, quod recipit esse post non esse, & causa temporis non est, vt Cœlum, non de alio: hinc Cœlum accipit esse, .s. per creationem, cum prius non esset, & tamen non est generabile, vel corruptibile. Item post non esse merè priuatiuum, non negatiuum tantùm, quia sic nulla creatura à Deo creata esset generabilis, & corruptibilis.

Rectum est iudex sui, & obliqui. *1. de Ani. T. 85.*

PRocedit, vt primum, & vt perfectius, ad quod reduci debeat ipsum obliquum, non formaliter, & absolutè, quoniam tali sensu, rectum habet contradistingui ipsi obliquo, & contradistincta non se mutuò indicant. Itèm quia rectum stat pro positiuo, & pro habitu, obliquum verò pro priuatiuo, & positiuum regula est ipsius priuatiui.

Relatio potest aduenire subiecto, absque mutatione. *5. Phys. T. 18.*

DEseruit veritati pro mutatione physica, non metaphysica, vel logica; enunciatio namq; vera noui prædicati, non potest esse absq; mutatione metaphysica: Itèm verum de subiecto termini huius, vel illius, at non de ambobus concurrentibus ad relationem; si enim paries, qui fit similis alteri, non mutatur, mutatur tamē ille alter recipiens qualitatē, quā non habebat, tanquā fundamentum proximum similitudinis.

Relatio præxigit extrema diuersa, ac realiter distincta. *5. Metaph. T. 16 & 20.*

VAlet de relatione adueniente, non constituente, sicuti sunt relationes Diuinæ, nec nō & ipsa relatio originis,

quæ

bilius esse habet in Sole, quàm in se, siquidèm in Sole habet esse Solis, & in se esse rosæ. Vlteriùs verum eminenter, non materialiter, idest pro veritate rei existentis, & proportionis enunciatiuæ, quoniam verior est propositio, rosa est rosa, quàm rosa est Sol. Per hoc clarescit aliud subsequens Effatum, quòd etiam verius esse habeat, nàm intelligitur de esse obiectiuo, & secundum essentiam, non secundum existentiã; sicuti de causa principali, non instrumentali.

Res ordinis superioris non potest videri per similitudinem inferioris. 12. *Metaph.* T. 51.

Adæquatè hoc intelligitur, non inadæquatè: Item de similitudine prius cognita secundum se, hoc est relata ad cognitum, cognoscibile per propriam speciem prius, non de similitudine, quæ est virtualis repræsentatio alterius, & sic substantia nosci potest per similitudinem accidentium, quæ sunt inferiora ipsi, ex 7. Met. T. 2.

Res verius esse habet in causa vniuersali, quàm in se ipsa. 12. *Metaph.* T. 51.

IN confessò est de veritate rei, non prædicationis, & sic res creatæ verius sunt in Verbo, quàm in se ipsis, dicente D. Anselmo in Monologijs cap. 35. Creatura in Creatore creatrix est. Cæterùm respectu continentiæ eminentialis, quæ non potest esse maior, neq; melior, non existentiæ particularis, & propriæ subsistentiæ, quæ se accomodando loco, tempori, & alijs sensibilibus circumstantijs, tandèm euanescit. *D. Ans. in Mon. cap. 35.*

Ridiculum est tentare Naturam esse ostendere. *2. Phys. T. 6.*

Firmum, & certum est per aliquod simpliciter notius, non verò secundum quid, aut per experientiam; Si enim dantur plures motus, & quietes sensibiles in rerum vniuersitate, datur & illarum principium, at istæ dantur; ergo opus est concludere Naturam dari, cùm ipsa tantùm simile principium sit, & hoc est quoddam demonstrare: Ampliùs per viam sensus solummodò, non intellectus, & sensus.

S

Sapientis est cognoscere causas. 1. *Met. ca. 1. & 2.*

IN hoc sensu recipitur, vt debeat Sapiēs reddere causas eorum, quæ dictas causas habent, & per eas docere; nō verò omnia per omnes causas demonstrare, & scire, quādoquidèm possunt Sapiētes cognoscere Deum, & prima principia, & tamen ista causas non habēt, neq; demonstrationem. Item essentiales, & genera earum, non accidentales, & eas, quæ neq; genericè subordinatur,

Sapientis est cognoscere omnia. 12. *Met. cap. 2.*

SVmitur verum principaliter, non simpliciter, & absolutè: Item verum de cognitione omnium, quoad speciem, & essentiam, non quoad indiuiduationem, & existentiam, quod dicunt Alij primò intentionaliter, non secundò estq; sensus, quòd sapiens debet cognoscere, quæ sunt necessaria indiuiduationi, non autem omnia indiuidua, quæ numero infinita dixit Plato, quando acquiesci in specialissimo iussit.

Scien-

Scientia eſt neceſſariorum. *1. Poſt. T. 7.*

PEr ſe intelligitur, non per alterum, ſiuè ſecundariò. Cęterùm de neceſſario poſterioriſtico, nō prioriſtico: hinc ſubiectum concluſionis demonſtratæ poteſt eſſe contingens, licet habitudo illius ad propriam paſſionem, & è conuersò propriæ paſſionis ad ſubiectum ſit neceſſaria.

SKOLION. Neceſſariorùm vtiq; plura ſunt genera, aliud, quod non habet cauſam ſui eſſe, vt eſt Deus O. M. & tale eſt ſemper, fuit ſemper, & erit ſemper, quoad eſſentiam, & exiſtentiam; Aliud deinceps, quod habet quidèm cauſam ſui eſſe, ſed non principium, neq; finem ſuæ durationis, vt Cœlum, & planè tale neceſſarium eſt etiam ſemper, & prioriſticum vocatur, hoc eſt ratione exiſtentiæ non deficientis neceſſarium; tertium poſtea eſt, quod habet cauſam ſui eſſe, & durationis, vt e.g. quòd homo ſit riſibilis, & quòd △ tres habeat angulos, & tale non ſemper eſt actu, quantū ad habitudinem terminorum, licet benè quantum ad inducendam concluſionem, & tale vocatur poſterioriſticum, quia de directò ordinatur demonſtrationi, quæ eſt ſubiectum Poſteriorum Analyticorum, & de ſimili currit Effatum Ariſtot.

Scientia eſt de perpetuis. *1. Poſt. T. 5. & 7. ac 6. Ethic. capite 4.*

RAtū, & firmū eſt negatiuè, pro vt .ſ. ſcientia eſt de rebus, quæ non habēt principia intrinſeca corruptionis, & reſident in ſingularitate, non poſitiuè, quaſi debeat eſſe de naturis immaterialibus, & abſtractis, quæ incorruptibiles ſunt; vt Angeli, & Intelligentiæ. Dicunt Alij formaliter obiectiuè, non materialiter, & ſubiectiuè; ſiquidèm ſcientia debet eſſe de tali obiecto, quod ſemper, & eodem modo ſe

habeat, sicuti veritas scientifica de tali re, quæ per indissolutionem terminorum, & proprietatum semper talis existat, at non necessariò de tali subiecto, quod sit secundum naturam sempiternum, & incorruptibile.

Scientia est assimilatio scientis ad rem scitam. *6. Ethic. cap. 7.*

VErum est secundum repræsentationem, non secundum naturæ conformitatem; vndè non oportet per hoc rerum variabilium scientiam esse variabilem, corruptibilium corruptibilẽ, &c. Ampliùs non præcisè, idest sola assimilatio, est. n. vltra hoc ipsa scientia bona qualitas, & decor animæ.

Scientiæ diuiduntur ad modum rerum. *3. de Anima T. 38.*

DEseruit veritati respectu scientiarum realiũ, quæ apud nos sunt, non de scientia rationali, vt est Logica: Ampliùs fundamentaliter, non formaliter: Cæterùm de scientia humana, quæ ministerio sensuum adipiscitur, non de sciẽtia Dei, aut Angelorum: Rursùs non absolutè ad diuisionem quarumlibet rerum scibilium, quoniam *2. Phys. T. 19.* habetur easdem esse lineas, & superficies naturalẽs, ac Mathematicas, sed factâ restrictione ad potentiam, & actum, ita vt sensus sit, sicut res diuiditur per actum, & potentiã *9. Metaph. T. 3.* ita & scientia, sic loquitur ad vnguem Marcus Ant. Zimera in Theorematibus Theorem. 109.

Marcus Anton. Zimera in Theo. T. 109.

Scientiæ diuiduntur per obiecta. *6. Met. T. 1. & 3.*

VErum est de obiectis formalibus, at falsum de materialibus, Musica, namq; & Arithmetica scientiæ diuersæ sunt,

ſunt, & adhuc ſunt circa idem materiale, videlicet circa numerum. Inſuper verum eſt de obiectis totalibus, & adæquatis, non partialibus, & inadæquatis. Præterea principaliter, nàm & per principia propria interdùm dicuntur ab Ariſt. diſtingui, ſed minus principaliter, quàm per obiecta.

Scientiæ nõ inſunt nobis à Natura *6.Eth.c.6.& 7.*

VTiq; verum ſecundum earum perfectionem, non ſecundum aptitudinem, & ratio eſt, quia, quod ineſt nobis à Natura commune eſt omnibus, non eſt autem commune omnibus hominibus habere perfectionem ſcientiæ, aut ſapientes eſſe: ſic formaliter, non radicaliter: Inſpice, quæ dicta ſunt ſuperius in litera H. de naturali hominum deſiderio, & de modo, quo ipſi dicuntur ſapientes, antequàm ſcientias addiſcant.

Scientiæ per experientiam inuentæ ſunt. *1. Metaph. cap. 1.*

VAlet iſtud occaſionaliter, non effectiuè, & formaliter; eſt namq; experientia ſingularium ex eodem 1. *T.* 2. & ſingularia inepta ſcientijs ſunt *ex* 1. *Poſt.T.66.* & 80. Cæterùm de ſcientijs naturalibus, non de moralibus. Vlterius, vel per experientiam ſenſus, vel intellectus; Regulæ enim logicales ſunt pro experientia intellectus, eſtò dicantur inuentæ ad dirigendas eius operationes.

Sciens peccat per ſe voluntarius. *8. Phyſ. T. 8.*

ACcipitur certum de ſciente in actu primo, non in actu ſecundo, ne nimirùm, quando ſumitur, vt actualiter con-

contemplans, & actualiter detētus circa aliquam veritatem. Ampliùs verum penès ea, quæ sciuntur, cùm error præfiguret falsitatem, & malum, sciētia autem veritatem, & bonum, non penès omnia, & maximè in particulari, cum possit scire in vniuersali, & errare in particulari *ex* 1. *Post. T.* 12. *&* 14.

Secundum tactum iudicatur homo prudētissimus. *In Paruis naturalib. cap.* 1. *&* 2. *de Ani. T.* 94.

VErum est respectu Brutorum, non per comparationem ad alios sensus; est namq; tactus iudex complexionis, quæ in homine perfectissima est, dicente Auicenna libro de complexionibus, & Arist. 2. *de Anima cap.* 5. Accedit, quòd tactu, securiora facit experimenta homo, & artium habitus contrahit; experimentum autem, vel prudentiæ comes est, vel eiusdem ephœbus illam fideliter antecedit.

Semina quæq; viuunt. *2 de Generat. Animal. c.* 3.

INtelligitur hoc potentiâ, non actu; virtualiter, non formaliter, ex quo deducitur sperma non esse animatum actu, quia quod habet animam actu, actu viuit; & si verum est, quòd in fine adducti capitis asserit Philosophus, videlicet semen nō habere determinatam formam alicuius partis animatæ ipsius viuentis, à qua decidat, eò quia tunc non contineret virtutem, producendi totū, sequitur (contra Nouitios) quod decidat à toto, & non sit totum actu, alioquin paruum animal esset, & decisio seminis generatio, ac proindè conceptio ortus, quæ cuncta in gremio falsitatis adolescunt.

Sene-

Senescere est secundum naturam. 5. *Phys. T.* 56.

APprobatur de natura communi, non de particulari; hinc 2. *Cœli T.* 37. dicebat Arist. impotētias omnes, quæ in animalibus sunt, esse præter naturam, & porrò senectus impotentia est: Item non primariò, sed secundariò.

SCOLION. Primariò esse secundum naturam importat, vt intendatur id, quod dicitur tale, tanquàm perficiens naturam, & conseruatiuum specierum, à quibus fit integritas Vniuersi; secundariò autem, vt solùm intendatur id, quod consequitur species, & ab extrinseco perficit, & ideò gratiâ alterius, Et quia senescere est via ad corruptionem, & corruptio vnius est generatio alterius 1. *de Ortu T.* 17. & generatio primariò intenditur, respectu corruptionis, ideò est dictum senectutem secundariò esse secundum naturam sicut, & decrementum; iuuentutē autem, siuè augumentum primariò.

Sensibile positum supra sensum non facit sensationem. 2. *de Anima T.* 116.

INtelligitur sic, quòd non faciat sensationem talis speciei, non alterius, vt e.g. si obiectum coloratum ponatur suprà oculum, esto ab oculo non apprehendatur, & actus visiuus non fiat, fit tamen tactiuus; vndè est, quòd ab Arist. tactus cōmunis dicitur 2. *de Ani. T.* 112. inter externos, cùm maiores habeat differentias, &c. Item verum respectu visus, auditus, & olfactus, qui medio vtuntur externo, non gustus, & tactus.

Sensibilium non est scientia. 2. *Ethic cap.* 1.

APprobatur per se, quoniam talia sensibilia singularia sunt, & singularium non est scientifica methodus, vt supra,

supra, non per accidens; etenim per abstractionem, vt fiunt vniuersalia ista sensibilia, possunt scientiam fundare, propter quòd Physicus sciens dicitur, qui abstrahit hæc sensibilia à materia indiuidua.

Si adsint plures motus, non sunt tamen plura tempora. *4. Phys. T. 101.*

SVbsistit, quatenùs tempus non est numerus numeratus quorumcunq; motuum, at solummodò primi mobilis, & propter hoc non est necesse tot esse tempora, quot motus, quia neq; ad mensuram mensuratorum multiplicantur mensuræ, dum vnus modius plura mensuret, etiam diuersissima.

Si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis. *1. Post. T. 30.*

CVrrit quando affirmatio est præcisa causa, & adæquata ipsius affirmationis, vt ex. gr. si habere pulmonem est causa præcisa respirationis, tunc non habere erit causa non respirandi, vt in illo libro dicitur de pariete, minimè de inadæquata, vt si e.g. diceretur ignis est causa caloris, ergo ignis non causat calorem, siquidèm illo non existente adhuc est calor: Item in causis proprijs, & immediatis, non remotis, vt per exemplum intemperiei, & sanitatis, docet infrà Arist.

Sicut se habet anima ad corpus, ita pars animæ ad partes corporis. *2. de Anima T. 9.*

COnstanter intelligitur verum de potentijs animæ, non de essentia eius; animæ enim essentia partes nō habet; quare sensus est, quòd sicut totum corpus organicum se habet

bet ad operationes animæ, quæ per ipsum totum exercẽtur, ita se habet vnum organum ad vnam determinatam operationem ipsius animæ, vt oculus ad visionem, & è conuersò.

Sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. *4. Topic. cap. 6.*

PRo certo habetur, vbi non est alia habitudo inter maximum vnius ordinis, & maximum alterius; quarè non sequitur minimum accidens est minimum ens, & maius accidens perfectius accidens: ergo perfectius ens, & proindè perfectissimum accidens perfectissimum ens, secùs verò vbi sunt plures tales habitudines. Dicunt Alij proportionaliter, non absolutè.

Signum nobis notius est, & minus quo ad naturam *1. Rhetoric. c. 2. & 2. Prior. c. 35.*

ADaptatur hoc naturalibus, quorum effectus sunt nobis notiores ipsis causis, non de signis quommodocunquè, & extra spheram naturalium. Insuper de signis, quando stant pro effectu, non pro causa; interdùm enim nos accipimus effectus, vt signa causarum, vt e.g. frequentationem pulsus, vrinam, &c. respectu sanitatis, & interdùm causas pro signis, tùm sanitatis, tùm aliorum, vt dispositiones corporum Cœlestium pro signis imbrium, pluuiarum, tempestatum, &c.

Simile non patitur à simili. *1. de Ortu T. 48.*

DE simili in gradu formæ verificatur, nec non & in ipsa forma, non in materia tantùm, aut forma tantùm quoniam duo calida per eandem formam caliditatis possunt inui-

cèm intensiuâ actione agere, sed debent disconuenire in gradu, itaut calidius agat in minus calidum,& hoc patiatur ab illo. Itèm illâ præcisâ ratione, quâ est simile, non alio modo.

Similia sunt, quæ conueniunt in forma. *10. Metaph. T. 11.*

PRocedit directè de similibus vniuocis, quæ .s. communicant in forma sub ratione generis,& speciei,non analogicè tantùm,vt Deus; patens namq; est, quòd Deus,cùm sit agens, debet habere similitudinem cum aliquo, putà relationem ad sua patientia; sed quia, non secundum eandem rationem genericam communicat cum creatura, propterea à similitudine formæ cum creatura excluditur; hinc doctè D. Dionysius 9. de Diuinis Nominibus dicebat, quæ non sunt vnius ordinis mutuam similitudinem nõ habent; causâ autèm prima, & causatum huiusmodi sunt: vndè cõceditur in recto, quòd creatura sit similis Deo, sed non Deus creaturæ, quemadmodùm imago est similis homini, sed non homo imagini.

D. Dionys. 9. de D. N.

Simplicitas perfectionem dicit. *11. Metaph. c. 1. & 2. Cœli T. 22.*

PRocedit de simplicitate per se subsistente, qualis est,quæ Deo conuenit,non de quauis indistinctè, vt est illa e.g. materiæ primæ elementorum, & accidentium separatorum. Cæterùm valet, quoad causalitatem, quoniam secundum Aristot. suprà simplicia habent rationem principij, nõ quoad existentiam, & existendi modum, vt suprà. Itèm secundum se, non quoad nos.

Sin-

Singularia cognoſcuntur ſine medio. *1. Poſt. T. 3.*

VVlt, quòd intelligatur de termino medio, quoniam ſingularia, abſq; diſcurſu, percipiuntur, vt putà, quæ ſenſibus apprehenduntur, nō abſolutè ſine medio, quia ſi videntur, & requiritur lumen, & diaphanum; ſi tanguntur, cutis, & cuticula; ſi guſtu percipiuntur, ſaliua, &c. Itèm, quādo eorum vniuerſale eſt nobis notiſſimum, ſecùs non, & hoc eſt, quòd in dicto loco dicebat Ariſtot. de △ in ſemicirculo, qui ſtatim, ac nobis offertur, cognoſcitur.

Singulare definitione non ſcitur. *7. Metaph. T. 17. 20. & 40.*

PRocedit de ſingulari in actu exercito, non in actu ſignato: Inſuper de ſingulari naturali, & de definitione propriè dictâ, non de ſingulari ſpirituali, aut definitione impropria; hinc in Prioriſticis dicebat Ariſtot. facilius eſſe definire ſingulare, quàm vniuerſale. Amplius reduplicatiuè, vt ſingulare eſt, non ſecundum communem, & logicam intentionem repertam in illis. Tandèm de definitione, quæ eſt medium demonſtrationis, non quæ tantùm confuſo modo continet eſſentiam, & per aliquod propriū accidens exprimitur, & deſcriptiua vocatur; & cum hoc aliud Effatum remanet expoſitum de faciliori eius notitia, quod habetur 2. *Poſt. T.* 85.

Singularium non eſt demonſtratio. *1. Poſt. T. 18. & 95.*

INconcuſſum manet reſpectu demonſtrationis ſcientificæ, non demonſtrationis ocularis. Itèm per ſe, non per accidens; de ſingulari namq; interuentu naturæ vniuerſalis pro-

prietas demonſtratur. Prætereà ſingularium caducorum, non ſempiternorum, vt ſunt ſubſtantiæ abſtractæ, ſecundum multos, deindè Sol, Luna, &c. quæ eadem interpretatio eſt alterius Effati huic connexi, quòd indiuiduorum non ſit ſcientia; reduplicatiuè enim, vt indiuidua, non ſunt ſcibilia, quia variabilia, & corruptibilia, ſed benè ſecundum prædicata vniuerſalia, quæ recludunt, vt ſuprà.

Si non eſſet anima potens numerare, neq; etiam poſſibile eſſet id, quod eſt numerabile. *4. Physic. T. 130.*

VEritatem in hoc ſenſu habet, vt, ſi impoſſibile eſt eſſe aliquem numerantem, impoſſibile ſit eſſe aliquod numerabile, quemadmodùm hæc vera eſt, ſi impoſſibile eſt aliquē ſentiētem, impoſſibile eſt aliquod eſſe ſenſibile, nàm ſenſibile eſt, quòd poteſt ſentiri, ſed non, quòd ſit ſenſibile, quia actu ſentiatur, & illud numerabile, quia actu numeretur, ſed ſit numerabile hoc, quia eſt aliquod numerans, & illud ſenſibile, quia eſt aliquod ſentiens. Amplius verum de actuali numeratione prioris, & poſterioris in tempore, quoniam hæc ab anima eſt neceſſariò, non de ſucceſſione ipſa, & fluxu motus à quo tēpus ipſū producitur, quod poſtea numerabile dicitur.

Sola anima intellectiua eſt locus ſpecierum. *3. de Anima T. 6.*

VAlet de loco ſpecierum præciſo, & adæquato, non ſimpliciter, & abſolutè; ſenſus enim per Ariſtot. 2. *de Anima T.* 121. eſt perceptiuus ſpecierum ſine materia, vt viſus coloris abſq; ſubiecto colorato, ſed nō abſq; organo, quòd contingit eſſe proprium intellectus. Item de loco ſpecierum magis proprio, ob ſpiritualitatem, non improprio. So-

Sola Metaphysica est gratiâ sui. *1. Metaph. cap. 2.*

SEnsum rectum habet, quòd sola Metaphysica, vt appellat omnem habitum theoricum, esse sui gratiâ, non vt appellat illam sapientiam, quæ est per altissimas causas; Et quia in his altissimis finalis includitur, ideò necesse est Metaphysicam considerare vltimum finem, & vniuersalem omnium, propter quem reliquæ in ipsam ordinantur, non ea ad alias.

Sola priuatio per negationẽ definitur. *6. Topic. c. 3.*

PRocedit hoc de definitione quidditatiua, & quæ mediũ est demonstrationis potissimæ *ex 1. Post. T. 22.* non de descriptiua, nàm constat priuationem talis defectus debere innotesci, quæ positiuis non conuenit: Itèm respectu eorum, quorum quidditates à nobis cognoscibiles sunt, non aliorũ, & ideò præstantissima (qualis est Deus) & deinceps substantia prima ab Arist. & Alijs fuerunt negatiuè definita.

Sola species definitur. *7. Metaph. T. 14.*

SVbsistit de propria definitione, quæ, si non est aliquando speciei, est tamen ad modum speciei; & idcircò volunt Logici genus posse definiri, vt speciem .s. vt quædam species vniuersalis, non de impropria. Item, quia sola species includit genus, & differentiam, non quia per propria accidentia non innotescat etiam forma, & essentia rei, sed cõfuso modo.

Solus ignis inter simplicia nutritur. *2. de A. T. 40.*

ADæquatè intelligitur de nutritione impropriè dicta, non propria; tùm quia quod propriè nutritur, manet spe-

ſpecie, & numero idem, ignis autem, teſtimonio Ariſtot. 2. *Metheor. cap. 2. & de Iuuentute cap.* 3. non manet idem numero, ſed ſpecie tantùm, quoniam humidum, quod eſt eius ſubiectum, ſeù materia flammæ, fit aliud, & aliud; tùm quia propria nutritio ſolis viuentibus adaptatur, dicente Ariſt. 2. *de Anima T.* 46. nil nutritur, niſi vitam habens; vide Alamanium in de Potentia nutritiua art. 1. & 3.

Alam. in de Poten. nut. a. 1. & 3

Sonus quidam motus eſt. *2. de Anima T. 85.*

APprobatur cauſaliter, non formaliter; non enim eſt actus entis exiſtentis in potentia, vt in potentia, ſicuti definitur motus 3. *Phyſ. T.* 3. Item per ampliationem; non.n.eſt ſine motu pulſantiũ ſolidorũ, cùm ſit attritio, & colliſio duorũ ſimilium, ex 2. *de Ani. T.* 78. non per ſpeciẽ, & per operationem propriam, quà aures immutat, & nõ aliam partem.

Speculatio de proprijs poſterior eſt ſpeculatione de communibus. *3. Phyſ. T. 40. & 41.*

REctè vſurpatur de cognitione dianoetica, quæ fit per abſtractionem à phantaſmate, non de cognitione intuitiua, aut per ſpecies innatas, quæ datur Angelis: Inſuper de cognitione ſcientifica, non de naturali, rudi, & inelaborata, quæ datur pueris, & Tyronibus. Item de proprijs, vt appellant particularia, non intrinſeca & àb eſſentià emanantia.

Stat errare in particulari, & ſcire in vniuerſali. *1. Poſt. T. 70.*

VSorpatur de cognitione noſtra, quantùm ad inuentionem, non quantùm ad experientiam, & actum; cùm enim

enim omnis actus cognoscitiuus sit particularis, si foret error circa particulare, absoluto sensu, nullus actus cognoscitiuus esset verus, quod maximum absurdum est. Accedit, quòd vniuersaliora sunt nobis notiora, vt suprà, & circa talia non potest esse noster error.

Subiectum est prius prædicato. *1. Phys. T. 52.*

VVlt accipi verum de prædicato accidentali, quod est in alio, vt in subiecto, non de prædicato essentiali, quia cùm tale prædicatum enuncietur de subiecto per modum totius, vt animam de homine, opus est, vt talia prædicata essentialia sint priora ipsis subiectis: vide, quæ suprà habui de prioritate subiecti respectu eorum, quæ sunt in ipso.

Subiectum, & proprium identificantur. 1. *Topic. capite 5.*

REcipitur verum, nexu, & identitate accidentali, non per se, & essentiali, vt fit de homine cum sua vltima differentia, putà cum rationali: Item per denominationem extrinsecus aduenientem, non per naturam, quia nunquàm accidens substantia esse potest, iuxta illud 1. *Physicorum T.* 27. quod vni est accidens, alteri nequit esse substantia.

SKOLION. Cùm omne identificatum alteri sit vnum cum illo, & de ratione vnius sit indiuisum ex 5. *Metaph. T.* 11. propterea notandum indiuisum aliquod dici dupliciter vel per se, vel per accidens: Per se rursùs bifariam, primò simpliciter per se; secundò respectu alterius; & tunc, vel respectu vnius speciei, & sic illa dicuntur esse vnum specie, quæ sub vna specie continentur, vel respectu vnius generis, & sic dicuntur illa vnius generis, quæ sub vno genere sunt simpli-

pliciter, & per se sunt quæcunq; sunt numero vnum, & separari nequeunt, vt Sortes. Indiuisum per accidens, vel est tale per inhærentiam, vt Sortes albus, vel per colligationem, vt in onere lignorum, vel per coadunationem, & congregationem, vt in aceruo lapidum, & granorũ tritici: Indiuisio itaq; subiecti cum proprio suo est per se secundo modo, nàm sequitur speciem, non primò, neq; per accidens, vt latè docet Elegantiss. Armandus Bellouisius in Tractatu 2. de Transcendentibus cap. 19.

Arman. Bellouis. in Tr. 2. de Trã. cap. 19.

Subiectum vnum vnicum tãtùm habet formam. 2. *Phys. T. 26.*

GErmanum habet sensum de forma substantiali, quæ dicit hoc aliquod in materia; nàm sicuti sigillatìm quælibet res habet vnicum esse, quòd esse prouenit à forma, sequitur, quòd etiam habeat vnicam formã: Addo, quòd omnis forma est actus primus, & à bino actu primo nulla res actuari potest, intaminatâ Naturæ lege concessâ, quod superflua, & frustranea despiciat ex 1. *Cœli T.* 32. *&* 2. *T.* 50. non autèm de forma accidentali; constat enim vnum, & idem à pluribus accidentibus denominari, & actuari.

SKOLION. Hoc aliquod dicere, significat dicere vnam finitam, & determinatam substantiam, quæ ita singularis est, ob vnionem talis formæ cum materia, vt in plures diuidi nequeat, vt lucidè Arist. in *Prædicam. cap.* 1. sub 5. proprietate edocet.

Substantia est ens per se subsistens. 7. *Met. cap.* 5.

VErum est, vt per se dicit idem, quòd in alio inhæsiuè, non, si ly per se, sumatur, vt contradistinguitur ei, quod est

est tale per alia, vt cùm substantia, composita dicitur talis esse propter suas partes: Amplius directè verum de substantia prima, quæ verè incommunicabilis est, non de secuuda. Cæterùm per se, vt excludit directè inexistere accidentis prædicamentalis, non prædicabilis solum: Amplius de substantia composita, quæ subsistit ad modum totius, non de simplici, & partiali; forma enim ex Arist. 2. *de Anima T*. 2. substantia est, cùm adhuc non per se subsistat, sed sit in materia, vt *ex* 2. *Phys. T*. 4. qui textus interpretatur, quòd sit in materia per informationem, non per inhærentiam.

SKOLION. Inter octo essendi modos, quos in *Antepradic. cap. de Rebus* narrat Arist. est modus essendi, tanquàm forma in materia, & tanquàm accidens in subiecto, qui modi in plerisq; differunt, nàm primus dicitur per informationem, & importat dare illi esse actuale primum, qui specificus est; secundus autèm solam denominationem extrinsecam, & actus specificus actũ primũ, & secũdum dat: Amplius primus essentialis est; secundus autèm non, sed extrinsecus: primus appetitus à subiecto est, secundus non: primus compars fit vnius per se, minimè secundus.

Substantia est de definitione accidentis, 7. *Metaph. T. 4 & 5.*

VAlet, vt cogniti à nobis, & secundum latam proportionem definiti ad definitionem, non simpliciter, & absolutè; potest enim (vt scimus per fidem) Diuinâ virtute separari ab illa, & eò tunc propriam habere definitionem, quatenùs ens, licet non substantia, siquidèm omne ens definitione cognoscibile est *ex* 3. *Metaph. T*. 10. cùm participet de genere, & differentia aliqua, sic censet Armandus Bellouisius in Præamb. Phys. T. 1. *Arman. Bellou. T. 1. Ph.*

Substantia est susceptiua contrariorum. *In Cathegoriјs cap. 1.*

VAlet, vt quòd, non vt quo; siquidèm quantitas, & ipsa suscipit album, & nigrum, & non est substantia; at suscipit, vt quo tantùm. Cæterùm susceptiua est contrariorum successiuè, vnius .s. post alterum, non simultaneè. Prætereà de creata, & materiali, non de increata & immateriali; vide supra literâ A.

Substantia est tempore, naturâ, & cognitione prior, quocunq; accidente. *7. Met. T. 4. & 8.*

COnsonum veritati est respectu accidentium communium, & separabilium, non propriorum, & inseparabilium vndequaquè. Insuper de cognitione secundum se, quæ ab ente dependet, non de nostra; siquidèm nos homines, pro hoc statu, manuducimur in cognitionem substantiæ per accidentia, docente Philos. 1. *de Anima T.* 11. Ampliùs de substantia secundum essentiam considerata, non secundum existentiam, quia sic, non est sine tempore, sine loco, & alijs accidentibus.

Substantia lineæ sunt duo puncta. *1. Post. T. 9.*

CErtum est, vt terminantia, non vt componentia; puncta enim sunt de ratione lineæ, etiam in primo modo dicendi per se, sed non, vt constituentia, quoniam partes intrinsecæ eius non sunt, vt suprà, sed, vt terminant, & finiũt, quòd maximè intelligitur de linea physica, non mathematica protrahibili in infinitum. Item de substantia, hoc est de essentia logicè sumpta, quæ dilatatur ad primum, & secundum modum

dum

dum dicendi per se, oppositos de directo ipsis per accidens; vide supra literâ G.

Substantia non est causa accidentis. 4. *Met. T.* 2.

PRoximè, & immediatè certissimum, non remotè, & mediatè: Ampliùs formaliter, nàm forma accidentis nunquàm substantia est; cum enim vnumquodq; habeat esse tale per formam ex 2. *Phys. T.* 12. & accidentis esse substãtia non sit ex 1. *Phys. T.* 27. sequitur, quòd substantia causa formalis eius non sit, at benè effectiuè, vt tactnm est sup. literâ A.

Substantia non definitur per accidens. 7. *Metaph. Summâ* 2. *cap.* 1.

COnnectitur vero de substantia absolutè sumpta, non relatiuè, cuius census est Natura definita ab Arist. 2. *Phys. T.* 3. per principium, & causam motus, ac quietis, quæ ambo accidentia sunt. Itèm de accidente communi, & separabili, non de proprio. Ampliùs essentialiter, & secundum se, non respectu nostri.

Substantia non dicitur infinita, nisi per accidens. 1. *Phys. T.* 15.

CVrrit de infinito secundum extensionem, quia hoc per se de quantitate verificatur, non de infinito virtutis, & durationis, quia sic Deus infinitus est per se, & non per accidens, & Angeli similiter, secundum durationem, & non per accidens: Itèm conceptu logico, non physico; vide superius dicta lit. I.

Subſtantia, quæ eſt forma ſine materia per ſe ipsā eſt ens vnum. *8. Metaph. T 16.*

INtelligitur adæquatè de ſubſtantia, quæ eſt cauſa formalis ſui eſſe, & ſuæ vnitatis; & inſuper cuius non eſt aſſignabile efficiens, & conſeruans eius ſubſtantialitatis, vt eſt Deus O. M. non de quauis alia, & ideò, licet Intelligentia ſit forma, abſq; materia, attamen non ſemper eſt ens, neq; per ſe vna, quia dependens, & creata.

Subſtantiæ vniuerſales ſunt magis ſubſtantiæ minus vniuerſalibus. *8. Metaph. cap. 1.*

DIrectè verificatur de Idæis iuxta Platonem, at ſecundum Peripateticos de ſubſtantijs in genere ſcibili, quatenùs minus obnoxiæ mutationibus, non de ſubſtantijs in genere Naturæ: Itèm quia perpetuæ, & influentes in minores communes, non in ſubſtando accidentibus, quod videtur proprium munus ſubſtantiæ; vide ſupra lit. N.

Suppoſitio non demonſtratur eſſe. *1. Poſt. T. 5. & 25.*

VAlet de ſuppoſitione ſimpliciter, non de illa, quæ eſt reſpectu addiſcentis; poteſt .n. iſta demonſtrari; vndè in 1. *Poſt. T.* 11. habemus pro exemplū ſuppoſitionē iſtā naturalia moueri eſſe ab Ariſt. probatam, & demonſtratā, ſed non ſimplicitèr, benè autem ratione addiſcentis. Item quia principiūm eſt demonſtrationis, & ſimilia principia non demonſtrantur, vt ſuprà literâ P.

Tem-

T

Tempus ab anima pendet. *4. Phys. c. vlt. T. 131.*

VAlet de tempore secundum rationem mensuræ, & secundum diuisionem artificialem, quæ à solo intellectu fieri apta est, non secundum essentiam, quia sic est contētum in Cathegorijs, & proprietates habet reales, quæ sunt longum, & breue, secundum Arist. ibi. Item in ratione actuali mensurandi, non in potentiali. Cæterùm facilè in permanentibus, non in successiuis.

SKOLION. Hoc diuersitatis est inter permanentes, & successiuas res, quòd in permanentibus numerus actu, & totus simul reperitur, vt in denario, senario, &c. hominum; in successiuis verò, non totus simul reperitur, sed in quodam fluxu, & successione, itaut partes inuicem sibi, secundum rationem prioris, & posterioris succedant.

Tempus est mensura motus, & etiam quietis. *4. Phys. t. 118.*

GErmanam habet intelligentiam de motu per se, & de quiete per accidens, non alio modò, secùs vera definitio temporis, deberet etiam quietem includere, quemadmodùm Natura in sua definitione *2. Phys. T. 3.* Accedit, quòd si esset æqualiter per se mensura quietis, & motus, idem esset mensura contrariorum simul, & semel, quod censetur absurdum.

Tem-

Tẽpus excedit res in eo existentes. 4. *Phys. T. 117.*

SVb hoc sensu requirit, vt intelligatur, nimirùm, quòd plus extendatur, quàm singula rerum, quæ sub ipso sunt, & ideò distributiuè, non collectiuè; extensiuè, non intensiuè. Itèm quia mensura est, adæquata quidèm omnium, & inadæquata singulorum seorsìm, & mensura excedit aliquo modo mensuratum, vt continens contentum, propter quòd videmus singulas res sub Cœlo deficere, & ipsum semper durare.

Tempus necessariò motum mensurat, & motus ipsum. 4. *Phys. T. 112.*

IN tali sensu vsurpatur, nimirùm quatenùs mensura semper certificat mensuratum; vt si mille grana tritici replẽt minam, & quattuor minæ modium; apparet, quòd mensuratum certificat mensuram, & è conuersò illa ipsum mensuratum, non de actuali, quantitatiua, aut formali mensura. Itèm quia semper coexistit eius fluxui, non quia superiùs ad ipsum, aut priùs.

Tempus non est motus, sed accidens consequens ipsum. 4. *Phys. T. 97.*

FAlsum est realiter materialiter, verum autem formaliter, siquidèm motus per Arist. *T. 96. cit.* 4. velox, vel tardus est, tempus autem minimè; Insuper quia motus respicit, vt plurimùm, quietem, & refertur ad mobile; tempus verò minimè: Item, quia non est motus solùm, alioquin pari, & simili definitione definiretur, ac motus, sed mensura eius secundum prius, & posterius: Insuper specificè, quia tempus species est quantitatis propria, motus autem non, imò nec alte-

te-

terius generis, nisi reductiuè. Tandèm verum de motu primi mobilis, à quo necessariò dependet, nō de alijs motibus, siuè eiusdem speciei, putà circularibus, siuè non.

Terminus motus non distinguitur à motu. *3. Phys. T. 18, & 20.*

IDenticè, & materialiter verum est, non formaliter, vt de actione, & passione in *T. 19. 3. citati* dictum est; motus enim est via, & transitus à termino à quo in terminum ad quem, & terminus nullus reduplicatiuè talis est: Itèm tanquàm perfectio eius, non &c. vide, quæ suprà dicta sunt literâ N. de motu.

Terribilium omnium mors est. *3. Ethic. cap. 9.*

VAlet, vt de passionibus nobis notis, non simpliciter. Itèm cæteris paribus, non indistinctè; generosi nanq; homines, & iusti, nullo mortis terrore concutiuntur; quinimò reliquis suauem, & facilem prædicant. Insuper in intellectu, ratione sensus, dolores, & tristitias semper renuentis, quos omnes dolores in vno mortis copulatos putat, non semper ratione sui, vt suprà lit. O.

Tot modis dicitur causa, quot principium. *5. Metaph. T. 1.*

APprobatur illo modo, quo explicatum est ibi, nomine principij, siquidèm omnes causæ sunt principia, at non è conuersò, propter priuationem, quæ principium est, & non causa, non autèm eodem modo semper, & eadem ratione. Itèm respiciendo causas intrinsecas, & extrinsecas rerum, non

mu-

Itèm de veritate enuntiabili à nobis, quæ maximè ab existentia deducitur, iuxtà illud superius expositum ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, aut falsa, non de obiectiua, & formali, quæ essentiam respicit, & æterna est.

Verius est aliquid vbi est per essentiam, quàm vbi est per similitudinem. *12. Met. cap. 3. T. 39.*

PRocedit hoc de veritate prædicationis, non de veritate rei, siquidèm prædicatio est principaliter ab essentia, & ab existentia solùm complementum veritatis rei; similitudo autèm existentiā sequitur: Itèm fundamentaliter, & transcendentaliter, non formaliter, & proximè, cùm sic intellectus per similitudinem intelligat, & per abstractionem.

Verius est, quod est in actu, quàm quod est in potentia. *5. Metaph. T. 3 & 9. eiusd. T. 17.*

REspectu potentiæ passiuæ attenditnr veritas huius Effati, non respectu actiuæ, nàm, vt suprà visum est, veriùs est res in causa sua, quàm in se ipsa, & tamen in causa actiuè continetur. Itèm ex parte vtriusq; potentiæ, intellectiuæ .s. & sensitiuæ, non sensitiuæ tantùm.

Verum est id, quod est. *4. Metaph. T. 10.*

VAlet causaliter, & secundum quòd ens præcedit rationem veritatis, non formaliter, ratione, quà perficit, & definitur ab Armando Bellouisio in de Transcendentibus cap. 24. Cæterùm valet de vero transcendentali, non prædicamentali, & cognito. Item quod est, vel obiectiuè, vel actualiter, non necessariò actualiter; vide, quæ dicta sunt de Ente lit. E.

Arman. Bellouis. de Trās. cap. 24.

Verum est aliqualiter prius bono. *4. Met. cap. 2.*

INtelligitur hoc, quantum ad relationem propriam, eò quia prior est relatio, quam dicit verum ad intellectum, quàm relatio boni, siquidèm ista terminat ad voluntatem, quæ posterior est intellectu, non vt vtrumq; includit ens, & passiones eius sunt, quoniam sic æqualiter cum eo sunt, & æqualiter conuertuntur. Amplius ratione simplicitatis, nàm verum est simplicius bono, eo quod bonum est perfectio appetitus, tàm secundum speciem, quàm secundum esse; verum autèm est sola perfectio secundum speciem, quia res cognita ab intellectu, est tantùm secundum speciem intelligibilem in ipso, & non secundum esse.

Virtus est, quæ facit bonum habentem. *2. Ethic. capite 6.*

PRopriè subsistit de bonitate morali, non naturali: Insuper de bonitate moris in habitu, vel in actu, non necessariò in actu, quoniam sciens potest esse doctus in vniuersali, & prauè operari in particulari, vt suprà cum Aristot. dictum est: Cæterùm, quantùm ad ea, quæ sunt propria suæ speciei, si sit vna Virtus tantùm, non simpliciter, hoc est in ordine ad omnes bonitates.

Virtus est vltimum in re de potentia. *4. Physicor. T. 116. & 7. eiusd. T. 18.*

ET essentialiter, & formaliter intelligitur, non materialiter solùm, itaut designet potentiæ complementum, siuè illud, per quod potentia completur sit aliud à potentia, siuè non, nam habita virtute tunc contingit, & meliùs, & fortiùs operari; vide mox infrà dicenda. Vir-

Virtus facientis consideratur secundum mensuram facti. *lib. 1. de Hist. Ani. per totũ, & 2. Eth. c. 4.*

PRobabiliter, & arguitiuè verum est Effatum, non absolutè, hóc est omni modo; maius enim calidum, non solùm magis, sed etiam citiùs calefacit, & idcircò, licet creare effectum finitum, non demonstret potẽtiam infinitam, ex parte facti, demonstrat tamen ex parte modi, producendo.s.ens simpliciter, inter quod, & nihil, proportio nulla est, ita D.Th. 1.p. q. 45. art. 5.

Virtus formam consequitur. *9. Met. T. 2 & 10.*

FIrmum est de virtute actiua, quæ crescit, vel ex plena forma, vel ex ea radicata in subiecto, non de virtute, quæ est habitus. Ampliùs firmum, & ratum de virtute in actu exercito, quæ virtus operatio est, non in actu signato, quia tunc non sequitur, sed simul est cum forma.

Virtus habet esse in medio. *2. Ethic. cap. 6.*

CArpit veritatem, quantùm ad materiam, in qua talis mensura perfectionis habitus virtuosi residet, non quantùm ad formam, quam à sua natura sortitur, quoniam sic habet rationem extremi. Cæterùm veritatem habet de virtutibus intellectualibus humanis, non Theologicis, siquidèm istæ medium non habent, illæ autem benè. Prætereà de medio rationis, non rei, siuè quantitatis; vide, quæ superiùs dicta sunt de medio literâ E.

Virtus moralis in sensitiuis potentijs esse potest. *1. Ethic. cap. vlt.*

PRobitatem, & veritatem habet in illis, vt directis à ratione, minimè absq; ratione. Itèm materialiter, nõ formaliter, seù (vt dicunt Alij) cum reformatione intellectus, non liberè, & absolutè. Cæterùm; lato modo sumpto nomine virtutis, non stricto, seù secundum Alios partialiter, non totaliter.

Virtutes naturales non sunt ad opposita. *1. Metaph. cap. 1.*

VAlet per se, non per accidens: Similiter, quando sumitur naturale, vt contradistinguitur libero, nõ alio modo, vt suprà, & hoc est, quod dicebatur ab Arist. 3. *de Anima T.* 47. modum operandi per naturam esse contradistinctum modo operandi per intellectum. Item relictis se solis, non si Ars superaddatur: vide, quæ sunt dicta sub Effato *natura est determinata ad vnum*, & sub alio de potentijs rationalibus.

Virtus per se delectationem habet. *1. Eth. cap. 5.*

DEseruit vero de ipso actu veritatis, nõ de obiecto actus, quoniam vna est inter virtutes, .s. Pœnitentia, cuius proprium est dolere de suo obiecto; è contra autem est de prima delectatione communi omni virtuti; vndè omni habenti virtutem est delectabilis operatio, quæ est secundum proprium habitum; quarè videmus pœnitentem de dolore, & passione gaudere. Tandèm de delectatione intellectus, siquidèm in virtute quiescit anima, non sensus tantùm, &c.

Vir-

Virtus vnita fortior. *Lib. de Caussis Prop.* 17.

VErificatur sic, quia non dissipatur à circumstantijs, propter quòd lapillus aquam scindit, & calor in speculo concauo ignescit; falsum autem, nisi sit in certa, & determinata quantitate. Ampliùs falsum in omni subiecto, & ideò, qui sunt frigidi temperamenti, hyemali tempore non fæliciter viuunt, at melius in æstate, à cuius calore contemperantur (quidquid dicant Alij, aliò referentes temperamentum) verum autem, vt in pluribus.

Visus est tantùm vnius contrarij. 2. *de Anima T.* 107.

SVbsistit de differentia principali sui obiecti, vt de albo, & nigro, non de alijs. Præterea secundum actum, quia sic tantùm vnum obiectum attingit, nõ secundum habitum, iuxtà quem potest omnes colores per varios actus attingere, medio tamen illuminato.

Viuere est viuentibus esse. 2. *de Anima T.* 16.

NOn de esse tantùmmodò vsurpatur Effatum, sed de esse, & operari, quoniam anima, nedùm est actus primus, sed etiam secundus, qui sanè secundus, in hoc differt à primo, quòd primus respicit totum, & singulas partes æqualiter; secundus verò non; operatio namq; animæ, quæ fit in corde, quàm maximè differt ab alijs, sed ipsa in omnibus operatur, saltèm vt *quo*, sicuti suprà, &c.

Vltima differentia est tota substantia rei. *7. Metaph. T. 43.*

INtelligitur hæc, quatenùs omnes superiores differentiæ dicunt vnum, quod determinatur ab vltima differentia; quæcumq; enim differentiæ, quæ ponũtur in definitione (nisi adsit vltima) non sunt potentes essentiam definiti aperire, nõ quia in suo conceptu includat cõceptum reliquarum, & omnium generum, sed quia dicit, veluti vltimam causalitatem rei. Itèm cõnotatiuè, non quidditatiuè, nàm essentia, & quidditas rei, verè à sola differentia non habentur.

Vna, & eadem res nõ potest locari in diuersis Prędicamentis. *4. Topic. cap. 1.*

APprimè verum, sub eadem ratione, alioquin sibi ipsi manifestè contradiceret Arist. hîc & *3. Phys. T. 4.* vbi docet motum poni, & in prædicamento qualitatis, quantitatis, & vbi; quinimò scientiam in genere qualitatis, & relationis, non sub diuersa. Item formaliter, & directè, non materialiter, & reductiuè. Item propriè, non impropriè.

Vna est potentia agendi, & patiendi. *9. Met cap. 2.*

VAlet de vna potentia subiectiuè, non formaliter, quia sic potentia actiua, & passiua, secundum suas formalitates opponuntur; & vnum oppositorum non prædicatur de alio. Itèm de remota in naturalibus, non de proxima, aut in liberis; vide, quæ suprà dicta fuere in principio primi libri

Vna forma in actu non poteſt eſſe in pluribus ſubiectis. 9. *Metaph. T. 4.*

PRocedit de forma reali phyſica, non intentionali, vt eſt vox, quæ à pluribus recipitur, & ſpecies ſenſibiles, quæ in eadem parte aeris poſſunt haberi. Item formaliter, non eminenter, & virtualiter. Cæterùm de naturali, non de artificiali; & rursùs de naturali in ſubiecto toto, non in partibus ſolùm; vide ſupra dicta literâ F.

Vni ſimplici corpori vnus ſimplex conuenit motus. 1. *Cœli T. 7.*

SVmitur verũ æquè primò, ſed non omnibus modis; ignis enim corpus eſt ſimplex, putà elementum, & tamen mouetur ſursùm, & etiam circulariter, attractus nimirùm à Cœlo Lunæ: Inſuper per ſe, & naturaliter, non per accidens, & ex violentia, quia tunc plures, ac contrarios ſuſtinere poteſt.

Vnio non tollit diſtinctionem. 10. *Met. T. 4.*

TRitum manet in ætherogeneis, quæ neceſſariò ſunt ex partibus diſſimilibus, non in homogeneis. Amplius de diſtinctione partium entitatiuarum, non formalium. Addit Io. de Magiſtris ſyncathegorematicè non tollere diſtinctionem, benè autèm cathegorematicè, quia ſic nõ ſunt amplius partes, ſed totum: vide ſupra lit. P.

SKOLION. Totum homogeneum eſt, quod ex partibus ſimilibus, aut eiuſdem rationis conſtat, vt lignum, oleum, vinum, &c. Ætherogeneum verò, quod ex diſſimilaribus conflagratur, vt corpus noſtrum ex carne, neruis, oſſibus, &c. ita 4. Metheor. cap. 2.

Vnius.

Vnius rei possunt esse plures materiæ. *8. Metaph. T. 11.*

INtelligitur de materiebus proximis, & determinatis, non de remota, & prima, nàm ad patiendum sufficit vnum ex 1. *Phys. T.* 33. Itèm partiales materiæ, non totales; sic.n. Mundus ex totali constat, & ex multis partialibus. Insuper frequenter in arte, rarò in Natura, nisi vna deseruiat pro dispositione alterius, quia tunc, etiam plures (dummodò subordinatæ) vna dici possunt.

Vnius rei est tantùm vnica essentia. *7. Met. T. 11.*

PRobè intelligitur de essentia absoluta, & specifica, nàm sic quælibet res habet tantùm vnicam naturam, & speciem, non de respectiua, & generica; Petrus enim, licet sit per essentiam specificam homo, est prætereà viuens, corpus, substantia, &c.

SKOLION. Essentia respectiua extrinseca est, & respicit esse essentiale, nàm per Arist. 5. *Met. T.* 14. duplex est esse rei, aliud, quo respondetur ad quæsitum quid est, & dicitur prædicatum essentiale; aliud quo respondetur ad an est, & dicitur esse existentiæ, ac prædicatum accidentale. Essentia absoluta intrinseca est, & respicit dictum quæsitum quid est, vt e.g. lapis, quà lapis, dicit essentiam absolutam specificam; quà verò terminus agrorum, aut basis columnæ dicit extrinsecam essentiam, quæ potius existentiæ est, quam essentiæ.

Vnius rei est tantũ vnica deffinitio. *2. Topic. c. 2.*

CVrrit de vnica re, vnico modo accepta, quia sicuti res non habet, nisi vnicum esse, & cum isto vnicam definitio-

& Vbi tantùm, vt habemus 3. *Phys. T.* 4. Item de ente physico, quà intransmutabile est, non de trascend entali.

Totum continet actu suas partes. 1. *Phys. T.* 36.

INconcussæ est veritatis de toto essentiali, & actuali, non de potestatiuo, & rationali, quale est ipsum vniuersale, respectu suorum inferiorum, vt genus respectu specierum, & species respectu indiuiduorum; sunt .n. hæc adimpleta secundum genus singulorum, at non secundum singula generum, vt de mente D. Tho. testatur Alamanius in Prædicab. cap. de Gener. Amplius de toto integrali, vt frequenter, non vt semper. Prætereà, vel confusè, vel distinctè, non necessariò distinctè; Cum quò aliud Effatum ellucet de identitate totius cum partibus, valet enim materialiter, non formaliter. *Alam. in Præd. c. de Ge.*

SKOLION. Genus (vt ad propositum attinet) dicitur continere species potentialiter, quatenùs per differentias est contrahibile, vt eas producat; Et quia, quæ in potentia sunt, confusa sunt, quandoquidèm actus est, qui distinguit, & separat *ex 7. Metaph. T.* 49. idcircò species dicuntur esse in genere confusè, & potentialiter, & ab opposito genus in speciebus actualiter; Et quia actus gignit distinctionem, vt suprà, proptereà distinctè genus repræsentatur, & continetur in specie, & ideò rectè dicitur à Metaphysicis genus in prædicando esse totum, & in definiendo partem.

Totum est idem conuertibiliter, ac perfectum. 3. *Phis. T.* 64.

VEritatem sortitur de toto materiali integro, non de potentiali, & quod integrum non est, veluti colobon.

hinc Deus perfectus, imò perfectissimus est, & nō est totum, nisi fortè secundum cōceptum nostrum, & impropriè, vt docet D. Tho. 1. p. q. 30. art. 4. Cæterùm quamdiù suas partes habet, non aliquâ deficiente. Tandem verum de perfectione naturæ, non morali, vel alia.

D. Tho. 1. p. q. 30. art. 4.

Totum est maius suis partibus. 1. *Phys. T. 4.*

VNiuersalis est intelligentiæ de toto integrali, & de partibus seorsim sumptis, non de essentiali, & partibus vnitis, nā in essentiale totum nō fundatur in quantitate, itaut debeat esse maius, vel minus. Accedit, quòd partes vnitæ idem sunt, ac totum, & proindè, nec illud maius istis, nec istæ maiores illo.

Totum, & partes eiusdem sunt prædicamenti. *5. Metaph. T. 31.*

INconcussum manet de toto integrali, per se, & partibus eius, non de toto potestatiuo, quod pro partibus potentias habet, vt v. g. anima. Itèm de toto, & partibus secundum diuersam rationem, itaut non formaliter omnes sint eiusdem prædicamenti, sed aliquæ formaliter, & aliquæ reductiuè. Cæterùm de toto naturali, & partibus ei essentialibus, non de artificiali, & accidentali.

Totum in vno non potest esse totum in alio. 1. *Phys. T. 28.*

VAlet reduplicatiuè de toto quantitatiuo, & integro secundum quantitatem, non de essentiali, & substātifico.
SKOLION. Totum integrale secundum quantitatem est, quod

quod si reperitur in vno loco, aut in vno contento, nō potest reperiri in alio, vt e. g. Aqua in vno determinato vase, quæ nequit esse in alio; Totum verò secundum essentiam, quia est in rebus indiuisibili modo, potest esse totū in vna re, & totum simul in alia, vt e. g. essentia albedinis tota est in vna parte parietis, & tota in alia, & tali modo ex *1. de Ani. cap. vlt.* anima rationalis tota est in pede, tota in manu, tota in capite, &c

Totum non prædicatur in recto de partibus, nec partes de toto. *10. Metaph. T. 25.*

COmperitur de toto essentiali, & numerali, non de alijs; Insuper de toto vniuersali secundò intentionaliter sumpto, non primò, quandoquidem *homo est animal* facit prædicationem rectam, non verò animal est homo. Pariter de toto ente generali homogeneo, quod melius quantitatiuum dicitur, nam *gutta aquæ est aqua* facit prædicationem rectam, non de ætherogeneo; vndè non dicitur pes hominis est homo, cùm corpus hominis ætherogeneum totum sit, ità Diuus Tho. in Com. T. 31. 5. Metaph. *D. Tho. in Com. T. 31. 5. Met.*

Totius, & partium eadem est ratio. *1. Cœli T. 19.*

APprimè certum de toto, & partibus eius, tàm integralibus, quàm essentialibus, quia in quo tractatu agitur de homine, est etiam opus tractare de corpore organico, & de anima, non de potestatiuo, quod, vt suprà, potentias loco partium habet, neq; de artificioso, cuius partes variorū sunt generum, & varijs subiacent sensibus, cuius gratiâ fortè dixit Arist. 1. *Phys. T.* 3. Totum nobis notius esse ipsis partibus, quia sensibilius est: Item secundum se, & in eo, quòd sunt relatiua, non secundum nos, & extra relationem.

V

Variatis menſuris variantur menſurata. *10. Metaph. T. 3.*

VAlidè ſubſiſtit de menſuris intrinſecis, quæ in menſuratis ſunt, tanquàm accidentia in ſubiecto, quo pacto ſe habent plures lineæ, quæ menſurant longitudinem plurium corporum æqualium, non de menſuris extrinſecis, quæ ſunt in vno, ſicut in ſubiecto, quo multa menſurantur, vt multi panni menſurantur ad longitudinem vnius vlnæ, quæ ſanè menſura, cùm non multiplicetur ad multiplicationem menſuratorum, neq; variari opus eſt ad eorum varietatem.

Vbi conſeruatur aliquid naturaliter, ibi corrumpi non poteſt. *4. Phyſ. T. 48.*

INtelligitur hoc, quando virtus corrumpentis non eſt fortior totâ virtute eius, quod reſiſtit, non ſecùs: hinc eſt, quòd particulæ ignis in propria ſphæra exiſtentes corrumpi poſſunt à Cœleſti conſtellatione, cuius influxui naturaliter ſubſunt. Inſuper intelligitur de facilitatis negatione, non de abſoluta incorruptione; conſeruantur enim homines in aere, ſuprà terram degentes, & tamen moriuntur, ſicuti de piſcibus dictum eſt ſuprà, reſpectu aquæ, ſed faciliùs in alijs, & difficiliùs in hoc loco, qui eſt ſenſus Ariſt.

Vbi eſt eadem cauſa, ibi & idem effectus. *11. Metaph. cap. 2.*

CÆteris paribus, & nullâ, aut eneruatâ, aut ablatâ conditione intelligitur Effatum, non alio modo. Cæterùm in-

intelligitur de eodem effectu, vt relatiuus est ad talem causam, non omninò identicè, quoniam effectus causæ æquiuocæ, nunquàm est causa æquiuoca; vndè de vniuoca causa directè intelligitur, non de alijs; videantur ea, quæ suprà dicta sunt literâ C.

Vbi est numerus ibi totum, & pars. *5. Met. T. 18. & 3. Phys. T. 68.*

VAlet de numero composito, & numerato, non de simplici, & abstracto, qui est merum iudiuisibile. Cæterùm valet de numero materiali, & destributo, qui ex diuisione continui habet prodire, iuxtà Philos. 3. *Phys. T. 67. & 68.* non de formali, qui est illa vnitas, quæ additur antecedenti numero, & de qua locutus est Arist. 5. *Metaph. T. 19.* dùm ait bis tria non esse sex, sed sex semel sex, hoc est secundum Auerroem, per vnitatem indiuisibilem additã quinario.

Vbi est dare maius, & minus, ibi est dare æquale. *3. Phys. T. 49.*

PRo certo est in Mathematicis, & vbi est simplex, tàm illud maius, quàm illud minus, non in naturalibus omnibus, & in ijs, in quibus maius, & minus simplicia non sunt: hinc, licet temperamentum primarum qualitatum maius, & minus detur, non tamen, secundum Philos. datur æquale, quod dici solet ad pondus. Ampliùs per non repugnantiam, & in illis subiectis, quæ ab accidentibus alterari possunt, non in alijs: Cum hac interpretatione solui potest Achilles Hipp. & Brysſonis, de quo in 1. *Elenchor. cap. 10.* negatiuè loquitur Aristot.

Vbi

Vbi est contrarietas, ibi, & aliquis motus. *5. Physic. T. 9. & 14.*

IN compertò est de contrarietate per se, non per accidens, & ideò, quia in relatione non est contrarietas, nisi per accidens, dicitur ab Arist. 4. *Phys. T.* 18. quòd in relatione nō est motus. Cæterùm valet de contrarietate in concreto, & in actu exercito, nō in abstracto, & in actu signato; inquit enim Arist. 1. *Phys. T.* 41. 47. & 50. in principijs rerum contrarietatem esse, & tamen in illo, nondùm est motus.

Vbicunque contrarietas est, est & actio. *1. de Ortu T. 51.*

POstulat intelligi de cōtrarietate primarum qualitatum, non de alia; vndè videmus album, & nigrum contrariari, nec vnum istorum agere in aliud, aut pati ab alio, dicente Arist. 1. *Phys. T.* 42. Ampliùs de illis, quæ communicant in materia, non de alijs. Cæterùm per se, non per accidens; quocircà inter calidum, & lutum est actiò, & minimè contrarietas, nàm calidum facit hoc, remouendo humidum. Tandèm verum de actione physica, & vniuoca, non de æquiuoca, de qua superiùs literâ A.

Vbi non est quantitas, ibi non est numerus. *5. Metaph. T. 11.*

DIrectè subsistit de numero prædica mentali, causato ex diuisione continui, non ex distinctione formarum, & graduū, & quatenùs multitudo est de transcendentibus, qualis porrò numerus est in Angelis, & separatis à materia; quin imò in ipsis Diuinis Personis, transcendentalis à D. Th. vocat.

Vbi

Vbi plus est fortunæ ibi minus est intellectus. 2. *Moralium cap. 8.*

MAncipatur veritati, quatenùs ignari, & soccordes nil præmeditantur, dùm agunt, & ideò quasi fortuitò omnia illis accidere videntur, non simpliciter, & absolutè. Vlteriùs arguitiuè, & tanquàm signum, non adæquatè, estq; sensus, quòd cùm fortuna sit causa per accidens, quò magis illa operatur, & causat, ad id, quod causat minùs concurrit intellectus, quia si multùm operis haberet intellectus, relinquere deberet, an esset ab intellectu, an à fortuna.

Vbi vnum propter alterum ibi vnum tantùm. 3. *Topic. cap. 2.*

VErum est in ratione appetendi ea, quæ sunt ad finem, nàm sunt vnus motus, non absoluiè, & secundum se, quia sic sunt duæ tendentiæ voluntatis, & duo motus in finē, & in ea, quæ sunt ad finem, cùm etiam primus sit tempore prauius altero: sic dicitur, quod est vnum tantùm formaliter, & quoad intentionem, non materialiter, & quoad actum.

Veritas est in eo intellectu, qui componit, & diuidit, 4. *Metaph. T. 3.*

GErmanum sensum habet de veritate intellectus speculatiui, non practici tantùm: Insuper, quod sit in intellectu formaliter, non vt in causa, quia sic est in rebus, vt suprà. Præterea de veritate complexa, quæ propositione aliquà exprimitur, non de transcendenti, quæ in rebus ipsis est, & definitur adæquatio rei cum Intellectu Diuino. Item per se, non per accidens; de dianoetica, non de indemonstrabili,

quo-

nitionem opus est habere, non de eadem, pluribus modis, aut rationibus siuè formalitatibus, sumpta. Cæterùm de definitione quidditatiua, non descriptiua. Addunt Alij de perfecta, quæ complectitur omnes causas, non de imperfecta, quæ est vnius causæ tantùm.

Vniuersale, aut nihil est, aut quid posterius. 2. *de Anima T. 8.*

FOrmaliter sumptum retinet suam veritatem, & vt dicit habitudinem ad multa, sed falsum fundamentaliter, & materialiter, quà ratione in singularibus existit. Itèm respectu existentiæ, quam non habet, nisi in intellectu, & per speciem entis realis, quæ, ideò posterior est ente reali, quia repræsentatiua illius. Cæterùm de nihilo physico, & in genere Naturæ, non de nihilo obiectiuo, & in genere scientiæ.

Vniuersalibus causis vniuersales conueniunt effectus. 2. *Phys. T. 38.*

VErificatur de primis effectibus, vt e. g. de ipso esse simpliciter, quod per creationem habetur; vndè creare videtur esse effectus vniuersalissimæ, & primæ causæ, non de secundarijs. Itèm vniuersales; per negationem vnius tantùm in specie, quandoquidèm causa vniuersalis est, quæ simul plures effectus specie diuersos potest producere, non omnes, itaut sensus sit nullus effectus inferiorum est sine ipsis, non tamen solis ipsis omnes.

Vniuersale est vnum, præter multa. 2. *Post. cap. vlt.*

ACcipitur secundum cõsiderationem nostri intellectus, qui considerat naturam aliquorum, putà hominis, &

Equi, non respiciendo ad Platonem, vel Socratem in natura humana, neq; ad Brunellum, vel Bucephalum in Equina, minimè secundum se. Itèm præter multa secundum existētiam, non secundum essentiam, & rationem abstrahentem communia â proprijs.

Vniuersale est, quod aptum est esse in multis. *7. Metaph. T. 45.*

INconcussum est Effatum de vniuersali fundamentali, non formali; talis namquè aptitudo nil aliud est, quàm non repugnantia ad essendum in pluribus.

SKOLION. Clarum est, quòd per vniuersale fundamentale intelligitur substractum secundæ intentionis, quæ postea vniuersale formale dicitur; multitudinem namq; singularium colligit in vnum intellectus, & facit vniuersale formale; vndè, vltrà non repugnantiam ad essendum in pluribus, respectu vniuersalis formalis, requiritur etiàm, vt intellectus talem naturam intelligat, cui non repugnat esse in pluribus, positiuè esse participabilem à pluribus differentijs specie, vel numero, quia sic illam intelligit sub conceptu generis, vel speciei, & consequenter sub conceptu vniuersalis descripti nobis à Porphyrio; Est àutem participabilis â multis, secundum quòd cognoscitur vnum in multis, & est per relationē cogniti ad cognoscentem, vt in Opusculis Opusc. 56. docet D. Tho. sic an vnum sit 1. *Post. T.* 27.

Vniuersale impartibile est. *1. Post. T. 11. & 12.*

VAlet, quatenùs vniuersale, non per pàrtes, sed per totum est diuisibile; vnde, vt totum, est in singulis partibus inferioribus minimè alijs modis, & dicitur totaliter.

SKO-

SKOLION. Illud eſt totum in aliquo, quod ſecundum totam ſuam eſſentiam in eo continetur; illud verò eſt totaliter in aliquo, quod in eo ita eſt, vt alibi non exiſtat, vt ego c. g. in præſenti meo Vbi.

Vniuerſale non eſt pars ſingularis. 1. *Phyſ. T. 4.*

SVbſiſtit de vniuerſali in multis, ſiuè in eſſendo: Itèm de parte formali formaliter accepta, & phyſico modo, non materiali, & metaphyſico modo vſurpata.

SKOLION. Vniuerſale poſt multa eſt notio, & imago communis, quæ in mente noſtra eſt abſtracta ab indiuiduis cognatis, hoc eſt eiuſdem ſpeciei; vniuerſale verò in multis eſt natura ipſa vniuerſalis, ſiuè generica, ſiuè ſpecifica, quæ communis eſt omnibus inferioribus, & ſic ſe habet, tanquàm pars eorum, contenta ab ipſis in eſſe diſtincto, & actuali.

Vniuerſale obiectum eſt intellectus, quemadmodum ſingulare ſenſus. 1. *Phyſ. T. 49.*

SVbſiſtit identidèm de vniuerſali potentiali, & materiali, putà de illa natura, cui poſtea intellectus attribuit intentionem vniuerſalitatis, & eſt quidditas rei à rebus ipſis ſenſibilibus ſeparata.

SKOLION. Obiectum adæquatum intellectus non eſt aliquid extra res ſenſibiles realiter exiſtens, vt perperàm Plato autumauit, ſed illis cohærens; licet enim intellectus poſſit alio modo rerum quidditates, ac ſint in rerum natura apprehendere, & ſecluſis principijs indiuidualibus, non tamen abſq; materia illa ſunt, quæ intelliguntur ab ipſo, & ratio à priori eſt, quia nõ eſt opus, aliquod enndem eſſendi modum habere in rebus, per quem modum eſt in intellectu co-

gnoscentis, siquidèm intellectus immaterialiter noscit materialia, & naturas singulares vniuersaliter, hoc est absq; consideratione principiorum indiuidualium.

Vniuersalia difficillimæ sunt cognitionis. *1. Metaph.* Cap. 2.

COmmuniter vsurpatur verum de vniuersalibus in causando, non inessendo, & prædicando; illa enim, vtà sensibus remotissima dicente Auerroe 2. de Anima Com. 92. difficillima nobis sunt. Cæterùm valet de vniuersali secundum cognitionem distinctam, non confusam tantùm.

Vniuersalia æterna sunt, & incorruptibilia. *1. Metaph. T. 27. & 1. Post. T. 11.*

ENunciatur verum, quoad existentiam obiectiuam, nimirùm quoad prædicata quidditatiua alicuius naturæ, non quoad existentiam passiuam. Rursùs secundum essentiam, non secundum inexistentiam, quam habent in singularibus. Prætereà, vt secundæ intentiones sunt, non vt substracta earum.

Vnum bonum non impedit aliud, nec virtus moralis aliam moralem. *2. Ethic. cap. 5.*

FÆliciter procedit, quantùm est ex parte sui, non ex parte operantis, cuius causa est vnitas intellectus, cùm ipse intellectus, non possit esse æquè intentus circa plura, per modum plurium, vt suprà. Amplius valet ratione habitus, non ratione actus, siquidèm vnus actus impedit alium.

Vnum

Vnum est prius multitudine. 10. *Metaph. T. 9.*

SVbsistit de vno materialiter accepto, nõ formaliter. Itèm simpliciter, nàm Deus, vt vnus per æternitatem præcessit multitudinem Creaturarum, non quoad nos, qui primò, & faciliùs concipimus multitudinem, quàm vnum.

Vnum perfectius est, quàm plura. 12. *Met. T. vlt.*

DE tali, & tali vno currit Effatum, non de vno transcendenti, quoniam istud abstrahit à perfectione, & imperfectione; tale autèm, quia etiam Deo datur, perfectius dici potest ipsis pluribus, quæ Deo, vt summo bono, & absoluto dari nequeunt: Itèm de vno, quod sit principium, & etiam finis, non de vno principium tantùm, qualis est vnitas, quæ est principium numerorum, non &c.

Vnumquodque est maximè tale, quando alijs est causa, vt talia sint. 2. *Metaph. T. 4.*

ADæquatè valet in vniuocis, non in æquiuocis, & analogis. Vlterius in agentibus per se, & quæ causant principaliter, non in alijs: Sic per naturam, non per artem; vide, quæ supra dicta sunt de esse in sua causa, & in causa vniuersali.

Vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus componitur. 1. *Phys. T. 65. & 3. Met. T. 15.*

COnsonum veritati est de vltima resolutione, non de immediata tantùm; cernimus enim multa mixta in vapores resolui, sed non vltimò, quia rursùs vapores in elementa

resoluuntur. Itèm per naturam, & relictis se solis, non per artem, & per violentiam. Amplius de resolubili, vt toto, quod .s. fuerit ex pluribus partibus, siuè homogeneis, siuè ætherogeneis conflatum, non de alio, putà de parte, vel de toto harmonico, & huiusmodi, cuius partes physicè non dicuntur componere.

Vnumquodq; sicut se habet ad esse, ita ad cognosci. *2. Metaph. T. 4.*

PRocul dubio procedit de esse essentiali, & substantifico, non de alio; hinc materia potest à Mathematico intelligi, & definiri quantitas, dùm vtitur primâ operatione intellectus, at non essentiali, & substantificâ definitione eius, cùm accidenti non conueniat definitio substantiæ, ex primo bis citato Phys. T. 27. Itèm quantùm est ex se, & interpretatur materialiter, non ex superadditis, & causâ concurrentium; baculus enim sub aqua non habet esse fracti, & tamen visus intellectui suadet esse fractum.

Vnum relatiuum non est notius altero. *5. Metaph. cap. de Ad Aliquid.*

VAlet præcisè, vt correlatiuum est, non vt terminus, quia tunc & terminat relationem, & etiam cognitionem. Amplius valet, quoad si est amborum, non quoad propriam entitatem, ac naturam, quà absolutum est; constat enim, quòd maiora sunt cognoscenda in vno, quàm in altero, vt in Creatore, quàm in Creatura; in duplo, quàm in dimidio; in specie, quàm in genere.

Vnum

Vnum vni tantùm contrarium est. 10. *Metaph. T. 14. & 1. Cæli T. 10.*

PRo certo habetur, vbi est maxima distantia, nimirùm vbi tantùm sunt duo extrema, non vbi sunt media, & extrema; quia tunc vnum potest contrariari, vt medium, & aliud, vt extremum. Item in simpliciter acceptis, nō in compositis, aliquid enim, secundùm aliam, & aliam rationem, (licet sit idem numero) potest plura contraria habere; vndè eadem nix, quia est alba, & frigida, potest habere nigrum, & calidum contraria. Cæterùm valet in vno genere proximo, & in pura ratione extremi; quarè vni Virtuti plura vitia contrariari possunt, vt liberalitati prodigalitas, & auaritia; motui e.g. sursum, deorsum, & ipsa quies. Tandèm de contrarijs simpliciter, nō secundum quid; quocircà grauitas terræ, & aquæ leuitati ignis contrariantur, at vnâ simpliciter, alia secundum quid.

Voluntas est domina sui actus. 3. *de Anima T. 51.*

VTique verum, at non cum exclusione primæ causæ; influit enim hæc in omnem creaturam, & potentias eius, non sic tamen in voluntatem, vt eam necessariò compellat ad vnum, quemadmodùm Natura propellit sua agentia naturalia ad actus, & fines suos; quapropter determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis: neq; quælibet causa habet excludere libertatem, at solùm causa agens, & necessitans, qualis causa non est Deus, respectu liberæ nostræ operationis.

Volun-

Voluntas etiam impossibilia velle potest. 3. *Ethicorum cap. 1.*

SVmmoperè veritati deseruit, quando sola reduplicatiuè accipitur, non simul cum electione,& deliberatione; electio enim nunquàm tendit in res impossibiles, & ideò, neque voluntas cum ea: Itèm, vt inordinatè volens, non iustè, & ordinatè. Cæterùm de impossibili ex sola suppositione, idest cognito aliquando impossibile, non simpliciter secundum, quòd Alij exponunt.

Voluntas mouet intellectum. 3. *de Anima T. 49.*

VAlet per modum agentis, quemadmodùm alterans mouet alteratum, & impellens pulsum; quandoquidèm illa potentia, quæ respicit finem vniuersalem mouet potentias, quæ tantùm respiciunt finem particularem, tàm in naturalibus, quàm in Politicis, & ideò, quia Cœlum agit ad conseruationem vniuersalem generabilium, & corruptibilium, mouet etiam inferiora corpora, quorum vnumquodq; agit ad conseruationem propriæ speciei, & indiuidui, nō per modum finis, eo sensu, quo dicitur finem mouere efficiens, quia sic intellectus mouet voluntatem.

Voluntas non potest velle, nisi bonum. 1. *Ethicorum cap. 4.*

INtelligitur quoad specificationem actus, vt suprà tactum est, non quoad exercitium, siquidèm quoad istud, tàm intellectus, quàm voluntas sunt ad opposita, vt demonstratum est suprà literâ P. Cæterùm intelligitur verum, quoad genus obiecti, non quoad singularem actum. Cæterùm de bono, vel appa-

apparenti, vel realis non de vno istorum tantùm, saltèm hîc in via.

Voluptates, quæ à contemplatione proficiscuntur dignioresſunt illis, quæ per artes habentur. *1. Ethicor. T. 5.*

SVbsistit, quoad rationem boni, & veri, quam rationem includunt contemplationis voluptates, non in eo, quod fingunt sibi artes pro fine, quandoquidèm iucunditas, quam habemus ex contemplatione, non est finis illius, sed assecla tantùm, cùm finis contemplationis sit veritas, ex monitu Aristot. 1. *de Anima T. 1.*

X

Xylophthorus festucæ parens est. *5. de Hist. Animal. cap. 32.*

INtelligitur apparenter, & ex similitudine; non formaliter; cùm enim vermiculus à corredendo ligna dictus, pedes in postica parte multos habens, & reliquum corpus araneosa tunicâ tectum, suo naturali tegmento hærentes festucas, è lignis cadentes corrosis gerit, & veluti suas ostendit. Itèm ex amplitudine sermonis, & occasionaliter, vt sensit Thodorus, non realiter, & formaliter.

Zeo-

Z

Zeophita, Vertibula, Conchæ, Vrtica, &c. non se mouent. 1. *de Hist. Animal. c. 1. & 4. eius c. 6.*

DE motu locali totius intelligitur, non de voluntario, & motu partium, nam voluntarius omnibus indifferenter datur, sequitur enim tactum, & facit auertere à noxijs, partes offensas, prout possibile; sunt.n. media inter plantas, & animalia secundũ Simplicium, seù plãtanimalia, vt Bodœus

Zephyrus iucundissimus ventorum est. *Sect. 26. Problematum, Probl. 23.*

VAlet, propter temperiem, non propter gracilitatem flatus tantùm; cùm.n. ab occidẽte spiret, minus calidus est omnĩ australi, & Aquilonaribus calidior; quocircà temperiem nactus mediã, respectu illorum, qui frequentiores sunt, dum spirat, iucundus censetur, itaut Homerus crediderit per campos Elisios continuò deuolui, iuxtà illud Odyssea. *Homer. Odyssea c. 4.*

Sed Zephyri assiduè spirant, auraq; salubres.

Alij enim, etiam leniter spirant. Itèm, quia serenitatem componit, quæ omnibus grata est, non simpliciter, nàm & ipse Subsolanus temperatus est, & tamen iucundus non dicitur, fortè, quia pluuiosus, & non ita Zephyrus.

Zephyrus horis postmeridianis spirare solet. *in Problem. sect. 26. num. 34.*

VT plurimùm vult intelligi, non semper; cùm enim Sol ad Occasũ appropinquatur, diffusos vapores meliùs discer-

ſcernit, & ceù concoctos, ac leues redditos, commouet, Zephyrumq; componit: non autèm ſemper, cum ſyderum ortus, & ſynodus illum commouere poſſint, & non fiant iſti ſolis horis à meridie, at ſublucanis, & nocturnis: Ampliùs huic climati, & Hemiſphærio, non toti Vniuerſo, quemadmodùm de diebus Alcionijs in Siculo mari dicit Ariſtotiles 5. *de Hiſt. Animal. capite* 8.

Finis Secundi Libri.





Pro-

Proteſtatio Auctoris.

Q Vatuor mille collectas Principis Philoſophorum habes, Candide Lector, in hac exigua Synopſi Auctoritates, eò digniores, quò breuiores; non enim ſollicita Oratio Philoſophũ decet, inquit Seneca Epiſtola 99. Etſi facilè non eſt benè omnia ſcribere, quando eximium quid, aut glorioſum continent, dicente Ariſt. 2. Politic. cap. 4. meo labori iucundiùs indulgebis, cùm omni neruo ſupra doctrinã ſapientioris inter Philoſophos, elegantioris inter Rhetores, acutioris inter Inueſtigatores, & fortè doctioris inter Doctos me detinuerim; maximè cùm Textuũ varietas, & Interpretum ſectiones confuſioni potiùs, quàm claritati aditum præſtiterint (quòd potiſſimùm in Analyticis obſeruaui) Te igitur ingenuè monitum reddo, Perionium magis, dein Beſſarionem, Franciſcum Vantabalum, & Argyropolum conſuluiſſe, quos ſanè fideliores adinueni: quocircà, in legendo, erroris, vel notã, vel ſuſpicionem dignaberis morari, donec nominatorum Peripateticam Philoſophiam inuiſas, meq; ipſum, eo tempore, vel iuſtè corrigas, vel debitè obiurges, admonentis ſemper, imò flagellantis manum deoſculaturus.

Decem Alphabeticis literis quemlibet Librum excolui, vt Cœleſtem, Diuinamq; doctrinam (pari numero, ac Cœleſtes Sphæra donantur) inſcriberem. Intereà breue Opus inſpice, accipe, lege ſuper hanc baſim Philoſophicum Ædificium breui recepturus.

Habes per incuriam, relictam auctoritatem 7. *Phyſ. T.* 20. pro Effato 2. paginæ 33.

Pariter reiteratum Effatum, minimè interpretationem, pagina 87. cũ 142.

Effatorum Vtriusque Libri

INDEX.

INDEX.

Destru-

INDEX.

In

INDEX.

Mo-

Omnis

Prius

INDEX.

Omissa pauca paginæ auaritia deuorauit.

F I N I S.

